rannus poteſt conſiderari: primo ob uſurpationem, & invaſionem alieni regni: ſecundo improbo uſu, & exercitio juriſdictionis. Primo caſu Principi tyranno obſiſtendum, reſiſtendumque eſt, quo modo tyrannus erat Philippus in præſenti ſpecie. Secundo caſu Principi legitimo, ſed tyrannice regenti, & gubernanti ſuum Principatum parendum eſt, ex juribus ſupra citatis, cum adhuc Regno privatus non ſit: quare legitimus dominus naturalis cenſetur.

36 Intelligitur extrav. un. ne Sede vac. Ex ſupra tractis accipit lucem textus in extravaganti unica Joannis XXII. *ne Sede vac.* ubi cum poſt Clementis V. obitum vacaſſet Romana Sedes annis duobus, menſibus, diebus 17. & eo tempore Henricus Imperator deceſſiſſet, Imperatores electi ſuerunt a variis Ludovicus Dux Bavariæ, & Fridericus; cum armis ſuperior evaderet Ludovicus, abſque Pontificia confirmatione Imperium occupavit, quem anathemate percuſſit Joann. XXII. & conſtituit, ne ullus vacante Imperio regimen ſuſciperet, nec tamquam Vicarius: quæ conſtitutio ex ſupra dictis lucem accipit; nam cum ex Pontificia juriſdictione proveniat electio Imperatoris, & a Romano Pontifice petendo ſit confirmatio, juſte, & jure potuit Joannes XXII. Ludovicum excommunicare, cum abſque confirmatione Pontificia Imperii regimini ſe ingeſſiſſet: & ſimul ratione propriæ juriſdictionis potuit Joannes XXII. conſtituere, ne vacante Imperio Vicarius eligeretur.

CAPUT XXXV.

a Idem.

COram dilecto filio noſtro tit. S. Pudentianæ Prebytero Cardinali. *Et infra*: Si vero utriuſque partis fuerit electio caſſata, vos fratribus omnibus, qui fuerint in provincia, convocatis, quod majori, & ſaniori parti eorum ſuper prædictis videritis complacere, faciatis per cenſuras eccleſiaſticas firmiter obſervari.

NOTÆ.

1 a *Idem.*) Licet textus iſte reperiatur in quarta collectione, *ſub hoc tit. c.* 1. tamen non conſtat, cui miſſa ſit ejus deciſio, & ubi præſens caſus contigerit; tantum ex eo deduci valet, de hac cauſa cognoviſſe Cardinalem tit. S. Pudentianæ, qui titulus Cardinalitius pertinet ad Baſilicam S. Mariæ Majoris, ut refert Cohelius *in notitia Cardin. cap.* 6. Ex hoc textu deducitur, ad electionem vocandos eſſe omnes jus ſuffragii habentes dum tamen intra provinciam exiſtant: quam partem examinavi *in cap. cum inter* 18. *hoc tit.* Etiam ex hoc textu probatur electionem factam a majori, & ſaniori parte, eſſe confirmandam a ſuperiore: quam aſſertionem late exponam *in cap. Eccleſia* 57. *hoc tit.*

CAPUT XXXVI.

Idem *a Parmenſi Epiſcopo, & ejus conjudicibus.*

BOnæ memoriæ S. Epiſcopo *b* Cremonenſi in extremis agente, cum de convaleſcentia deſperaretur ipſius, Cremonenſe Capitulum H. Concanonicum ſuum *c* Regii diſciplinis ſcholaſticis inſiſtentem, ad certum terminum in vigilia Pentecoſtes pro futuri electione Pontificis citari fecerunt. Verum ſecunda feria poſt Pentecoſten dicto Epiſcopo viam univerſæ carnis ingreſſo, Capitulum antequam corpus illius eſſet traditum *d* ſepulturæ, abſente Canonico memorato, in quatuor de ipſo Capitulo, & *e* tres de Clero civitatis poteſtatem eligendi Pontificem contulerunt, expreſſo, ut minor pars illorum ſeptem ſequeretur in electione majorem. Habito itaque poſt mortem, ſed ante ſepulturam tamen ipſius Epiſcopi, de futuri Paſtoris electione tractatu, cum vota illorum ſcinderentur in partes, quatuor in Archipresbyterum, duobus in Archidiaconum, uno in alium conſentientibus, tandem illo ſepulto, minoris partis arbitrio ad judicium accedente majoris, eumdem Archipresbyterum concorditer elegerunt; cui electioni Archidiaconus cum Capitulo, & Clero civitatis, nullo contradicente, conſenſit. Verum adveniens poſtmodum H. & aſſerens ſe fuiſſe contemptum, ac propter hoc electionem hujuſmodi nullius fuiſſe momenti, quaſi jus eligendi devolutum fuiſſet ad ipſum, pro ſe, prout potuit, Archidiaconum memoratum elegit. Conſtituto autem H. pro ſua, & dilectis filiis noſtris F. & N. pro electione Archipresbyteri coram nobis electionem ab ipſo H. poſt electionem Archipresbyteri non caſſatam, licet, de viro multæ litteraturæ, honeſtæ vitæ, ac claræ famæ, non tamen ſine multa temeritate præſumptam, cum de priori noſtrum debebat *f* expectare judicium, antequam procederet ad ſecundam, duximus irritandam, in pœnam interdicentes eidem contradictionis vocem, in primo conſenſu Capitulo perdurante. Electionem quoque Archipresbyteri, quamvis laudabile teſtimonium perhibeatur de ipſo, juſtitia exigente caſſavimus: tum quia corpore defuncti Epiſcopi nondum tradito ſepulturæ, habuere de ipſa electione tractatum, contra canonicas *g* ſanctiones: tum quia inventus eſt H. fuiſſe contemptus, licet unus ſolus extiterit; cum plus in talibus conſueverit unius contemptus obeſſe, quam multorum contradictio in præſenti. Nec prædicta debet dici valuiſſe citatio, quia cum Epiſcopi mortem prævenerit, temeraria nimis extitit, & non potuit arcere citatum. Ad hæc volentes Cremonenſi Eccleſiæ ſpecialis ſolicitudine providere, concedimus, & mandamus, ut ſi Capitulum voluerit in ſuo perdurare conſenſu, ipſum Archipresbyterum auctoritate noſtra in Paſtorem Cremonenſis Eccleſiæ concedatis, alioquin niſi forte infra undecim dies de perſona idonea in Pontificem ſibi, & Eccleſiæ ſuæ providerint per electionem canonicam, & concordem, vos eiſdem auctoritate Sedis Apoſtolicæ de ipſo Archipresbytero, vel Archidiacono, ſeu de alio viro idoneo providere curetis.

NOTÆ.

1 a *Parmenſi.*) Ita etiam legitur *in cap.* 2. *hoc tit. in* 4. *collect.* Parmenſis civitas, Inſubriæ nobiliſſima urbs, in via Æmiliana ſita eſt: cum Imperii Romani florente fortuna floruit, poſtea modo arbitrio ſuorum, modo Romani Pontificis gubernata fuit, ut referunt plura de ejus origine, & progreſſu adducentes Merula *de antiq. Galliæ, lib.* 2. *c.* 2. Andreas Scotus *in itinerario Italiæ, lib.* 1. *pag.* 170. Habet Eccleſiam Cathedralem Deiparæ Aſſumptioni dicatam, ut vetus marmorea inſcriptio ejus teſtatur, ibi: *Templum hoc olim Divo Herculano dicatum, Paſchalis Pontifex Romanus ritu ſolemni in Parmenſium gratiam Aſſumptæ Virgini ille ipſe conſecravit* 6. *Kal. Octobr. anno* 1106. Ejus Præſulum catalogum tradit Ughellius *tom.* 2. *Italiæ ſacræ, fol.* 182. Opizoni ejus Eccleſiæ Præſuli miſſa eſt hæc deciſio, qui floruit temporibus noſtri Innocentii, ut videre eſt apud Ughellium *ubi ſup.* ejus etiam mentio fit *in c. cauſam* 7. *de præſcrit.*

Parma ubi.

2 b *Cremonenſi.*) Sed quomodo caſus Cremonenſis Epiſcopi potuit contingere temporibus Innocentii III. cum eam Eccleſiam in Epiſcopalem erexerit Gregorius XIII. anno 1580. ut conſtat ex Bulla creationis, quam refert Ughellius *d. tom.* 2. *fol.* 24. Sed dicendum eſt, diverſam prorſus eſt civitatem Cremenſem a Cremonenſi. Crema enim, quæ eſt ſuffraganea Eccleſiæ Bononienſis, de qua Merula *ubi ſupr.* Scotus *d. l.* 1. *p.* 117. eſt tantum Epiſcopalis a temporibus Gregorii XIII. Cremona vero, quæ eſt civitas Galliæ Ciſalpinæ, non procul a Mantua, de qua plura *ubi ſup. c.* 10. Bernardus Saccus *l.* 9. *hiſt. Ticinenſis, cap.* 6. Scotus *d. lib.* 1. *pag.* 216. Epiſcopalis erat temporibus noſtri Innocentii, cum præſens caſus contigit.

De Cremona.

3 c *Regii.*) Regium Lepidi, juxta Parmam, pulcra civitas eſt, tametſi latius fines non extendat, in medio viæ Æmiliæ ſita: poſt Imperium Romanum a Longobardis, & Gothis excidium paſſa eſt, poſtea diverſorum Comitum jugum ſuſtinuit, donec temporibus Adriani VI. Eſtenſes ſub titulo Ducatus eam adminiſtrarunt: plura de ea tradunt Merula *d. c.* 2. Scotus *d. l.* 1. Ughell. *tom.* 2. *Italiæ, fol.* 300.

Regium Lepidum ubi.

4 d *Traditum ſepulturæ.*) Cum corpus Prælati humatum non eſt, imo ante ejus depoſitionis diem tertium electio ſucceſſoris fieri non debet, *c. nullus el* 2. 79. *diſt.* ubi Acunna, Dartis, & Barboſa. Tamen id non ſervatum in electione R. P. refert Petrus de Vineis *l.* 1. *ep.* 33. & in electione Procli Patriarchæ CP. tradunt Socrates *l.* 7. *c.* 31. Nicephorus *l.* 11. *c.* 37.

5 e *Et tres de Clero.*) Compromitti enim poteſt non ſolum in eos, qui ſunt de corpore Capituli, verum, & in extraneos; dummodo laici non ſint, *c. ſacroſancta, hoc tit.* Dixi *in c. cauſam, ſupra.*

f *Expectare judicium.*) Contra textum *in c. conſideravimus*, ubi aliqua adduxi, *hoc tit.*

6 g *Sanctiones.*) Videlicet textus *in c. obeuntibus*, 63. *diſt. c. nullus, el* 2. 79. *diſt.* licet tractatus conſultivus haberi poſſit, juxta textum *in c. ſi tranſitus*. 79. *diſt.* Sed licet prohibitum ſit futurum paſtorem eligere ante obitum, & humationem prædeceſſoris; tamen ſi electio ante humationem de facto celebretur, valet, & ſuſtinetur, cum plures evenire poſſint cauſæ, quæ hanc coleritatem expoſtulent, *c. Epiſcopo* 3. 8. *q.* 1. docent Lambert. *de jurepatr. l.* 2. *p.* 2. *q.* 2. Petr. Greg. *de elect. c.* 13. *n.* 5. Unde in noſtro textu ſi non adfuiſſet contemptus unius electoris, electio defenderetur; Neque contrarium probant verba relata noſtri textus, quia hæc cauſa præventæ, & acceleratæ electionis inter alias refertur, non vero aſſeritur eam per ſe ſufficere ad irritandam electionem, ſed tantum conjunctam cum aliis, ut pro noſtri textus expoſitione docent Lambertinus, & Petr. Greg. Nec etiam adverſatur text. *in d. c. nullus*, 79. *diſt.* quia procedit de honeſtate, non vero de neceſſitate; ita ut juxta honeſtatem poſt depoſitionis diem tertium debeat electio celebrari, non vero antea: docet Miranda relatus a Barb. *in præf.*

h *Contemptus.*) Contemni elector duplici modo poteſt. Primo ſi non vocetur, cum vocari debebat, *cap. quod ſicut, hoc tit.* Secundo ſi vocatus non admittatur ad electionem. Tambur. *tom.* 1. *diſp.* 1. *quæſito* 3. utroque autem caſu electio non eſt nulla ipſo jure, ſed annullanda judicis ſententia, ſi de contemptu agatur, *d. c. quod ſicut*, Panorm. *hic, n.* 4. Petr. Greg. *de electione c.* 14. *n.* 5. quare nullo modo dici poteſt, facultatem eligendi ad electorem contemptum eſſe devolutam, *c. ſuper eo, hoc tit.* ut male Hoſtienſis in noſtro textu probat; unde ſi contemptus conſentiat electioni, tamquam ab omni vitio immunis ſuſtinebitur, ut dixi *in c. cum inter*, 16. *hoc tit.* ex cujus commentario, quæ huc ſpectant petenda ſunt.

CAPUT XXXVII.

a Idem.

CUm ad noſtram nuper notitiam deveniſſet, quod H. qui ſe pro Abbate *b* Luxovin. gerebat, non fuerit ante monachus quam electus: Nos attendentes, quod contra regulares traditiones illud fuerit attentatum, cum nullam ſpem, vel promiſſionem habens, ut Abbas fiat, debeat *c* monachari, electionem de ipſo factam de conſenſu fratrum noſtrorum curavimus irritare. Quocirca mandamus, quatenus tam monachis, quam aliis Fidelibus monaſterii memorati ſtudeatis ex parte noſtra diſtrictius inhibere, ne præfato H. ullam obedientiam, vel reverentiam propter jamdictam electionem valeant exhibere; & ſi quid in eodem monaſterio diſponendo perperam attentaverit, nullum robur habere volumus firmitatis, ſed penitus irritari.

NOTÆ:

1 a *Idem.*) Ita etiam legitur in quarta collectione, *ſub hoc tit. c.* 3. cui tamen miſſa fuerit præſens deciſio, non conſtat; credo tamen ad monachos Benedictinos Lexonienſis diœceſis ſpectare.

2 b *Luxovin.*) Ita legendum eſt, nam in præſenti agitur de Monaſterio Luxovienſi, quod eſt in Gallia, in Comitatu Burgundiæ, de quo plura tradunt Fratres Sarmat. *tom.* 4. *Gall. Chriſt. fol.* 585.

3 c *Monachari.*) Id eſt monachus fieri, ut enim canonicari ponitur, pro canonicum fieri; ita, & monachari pro monaſticam vitam profiteri. Gofridus Vvindonienſis *lib.* 4. *ep.* 13. ibi: *Summa pretum infirmitate monachaſti*. Et *ep.* 50. ibi: *Quos monaſterio noſtro monachandos miſiſti*. Notat Boſquet. *lib.* 1. *ad Innoc. III. ep.* 13. Commentarium hujus textus tradidi *in c. cum Magiſtrum. hoc tit.*

CAPUT XXXVIII.

a Idem *M. tit. S. Laurentii in Lucinia Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato.*

OFficii tui laudabilem perſequeris actionem, cum ſuper illis, de quibus dubitas, per nos poſtulas edoceri. Sane nobis tuis litteris mandaſti, quod cum monaſterium quoddam poſſeſſionibus *b* convenienter ditatum, ſed poſitum in medio nationis pravæ pariter, & perverſæ, Paſtore careret, monachi de electione Abbatis tractantes neceſſarium duxerunt perſonam eligere aliquam, cujus potentia valeret a perſecutoribus liberari. Cumque non poſſent ſui Ordinis idoneam invenire perſonam, in quemdam virum nobilem oculos direxerunt, per quem melius poterat defenſari; & conſilio quorumdam Juriſperitorum adierunt patrem ipſius, humiliter poſtulantes, quod filium ſuum *c* induceret, ut habitum ſuſciperet monachalem, nullam patri de ipſius promotione *d* fiduciam tribuentes: & pater ad hoc induxit filium diſcretum, providum, litteratum, & vigintiquinque annorum ætatis, qui monachus eſt effectus, nulla ſpe, ut aſſerit, de ſublimatione tributa. Sed die, in quo monachus eſt effectus, fuit in Abbatem electus, cujus electio fuit per dilectum filium noſtrum G. de Lab. Subdiaconum noſtrum, Rectorem Meſſanæ, Apoſt. Sedis Legatum, qui omnibus prædictis interfuit, confirmata. Cum autem idem paratus ſit purgare ſe, quia nulla fuit ad hoc ambitione inductus, per litteras noſtras poſtulas edoceri, utrum dictus Legatus potuit hujuſmodi electionem confirmare, vel diſpenſare, ut quod factum eſt, ſtare poſſit; & utrum electione rite caſſata, iterum valeat eligi in Abbatem. Nos autem conſolationi tuæ taliter reſpondemus, quod licet ex his, quæ incontinenti ſubſecuta ſunt, oſtendatur, quod talis taliter eligi non poſſit in Abbatem, maxime ex eo, quod antequam eſſet diſcipulus, voluit eſſe magiſter, electionem illam irritam eſſe decernimus, & inanem. Verum poſtquam fuerit in regula competenter inſtructus, ſi urgens neceſſitas, & evidens utilitas ipſius monaſterii poſtulaverit, purgatione *e* recepta poterit in Abbatem aſſumi, ne monaſterium opprimatur incurſibus malignorum.

NOTÆ.

1 a *Idem.*) Hujus textus inſcriptio corrigenda eſt ex inſcriptione textus *in c. officii de teſtam. c. officii, de pœn. & remiſſ. c. officii de ſent. excom.* ubi tantum legitur, *Cod. Presbyt. Cardinali Ap. Sed. Legato*. Cum enim C. presb. Cardinalis tituli S. Laurentii in Lucinia (qui titulus Cardinalitius ſpectat ad Baſilicam S. Laurentii extra muros, teſtante Cohelio *in notit. Card. c.* 7.) Legationis officio fungeretur, conſuluit Innocentium III. ſuper diverſis quæſtionibus, quarum prima refertur in noſtro textu, ſecunda *in d. c. officii, de teſtam.* tertia *in d. c. officii, de pœnit.* ultima demum *in d. c. officii, de ſent. excom.* noſtra autem deciſio reperitur in quarta collectione, *ſub hoc tit. c.* 4.

2 b *Convenienter ditatum.*) Debet enim quodlibet monaſterium tempore ſuæ fundationis competenter dotari, ut monachi congrue ſuſtententur; quod primis Eccleſiæ temporibus obſervatum fuiſſe probat Nicolaus Lemaiſtre *lib.* 2. *de juribus Eccleſiaſt. c.* 8.

3 c *Induceret.*) Licet parentes non poſſint cogere filios ingredi, & profiteri religionem, poſſunt tamen eos inducere; nec ita inducentes hodie excommunicationem incurrunt, ex diſpoſitione Concilii Tridentini *ſeſſion.* 25. *cap.* 18. ut refert deciſum a Cardinalibus Bar. *ibi, numer.* 5. *& de poteſt. Epiſcopi allegation.* 104. *n.* 3.

d *Fiduciam tribuentes.*) Quod prohibitum eſt Eccleſiæ legibus, *c. per laicos*, 16. *qu.* 7. plura Anton. Auguſt. *in epitome, lib.* 9. *tit.* 5.

e *Recepta.*) Præſtito videlicet juramento, ſe ingreſſum non fuiſſe, ut in Abbatem eligeretur.

CAPUT XXXIX.

a Idem.

ILla quotidiana inſtantia. *Et infra*: Quia pro certo didicimus, electionem de ipſo factam canonicam extitiſſe, ipſam auctoritate Ap. duximus confirmandam, ſupplentes de plenitudine poteſtatis, ſi quis in ea ex eo fuiſſet defectus, quod cuidam interfuerunt electioni eidem, qui ex ſola participatione in ſimplicis excommunicationis laqueum inciderunt.

NOTÆ, ET COMMENT.

1 Cenelusio traditur, & probatur.

2 IDem.) In præsenti proponitur fragmentum cujusdam epistolæ Innocentii III. cujus integra non reperitur, nec in quarta collectione, *sub hoc tit. c. 5.* ubi reperitur hic textus; nec in aliqua ex epistolis editis a Bolqueto: ex ea tamen, prout hic jacet, sequentem deducunt Interpretes assertionem; *Electio canonice celebrata, debet confirmari, licet quidam eligentium essent minori excommunicatione ligati*. Probant textus *in c. si celebrat, de clerico excommun.* Illustrant Covar. *in c. alma, 2. p. §. 7.* Lambertinus *de jurepatr. p. 1. l. 2. qu. 2. art. 1.* Garzia *de beneficiis 5. p. c. 4. n. 314.* Marius Alterius *de censuris tom. 1. l. 2. disp. 5. c. 1.* Suarez *eod. tr. disp. 14. sect. 1. n. 8. & disp. 24. sect. 3. n. 13.* Lezana *tom. 1. verbo Excommunicatio.* Bonacina *eod. tr. disp. 2. qu. 2. punto 5. n. 3.* Avila *simili tr. p. 2. disp. 6. dubio 3.* Pevrinis *de Prælato, qu. 2. c. 5. n. 1.* Hurtado *de excommunicatione disp. 7. difficult. 2.* Castro Palao, Sayrus, & alii laudati a Garzia *tom. 2. polit. tr. 9. difficultate 3. dub. 2.* Leander *de censuris disp. 10. qu. 7.*

2 Ratio dubitandi.

Hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti consideratione; nam quando actus celebratur ab excommunicatis simul cum non excommunicatis, similis actus corruit, ut probant textus expressi *in c. ad probandum, de re judicata*, ubi quia unus ex judicibus erat excommunicatus, sententia a pluribus prolata nulla est, *c. ult. de procurat.* ubi procurator constitutus ab universitate, ubi aliquis ex juratis erat excommunicatus, non admittitur in judicio, nec talis constituto sustinetur: igitur similiter in electionibus, si aliquis ex eligentibus sit excommunicatione innodatus, electio vitiabitur. Augetur hæc consideratio ex illis verbis præsentis textus, *supplentes de plenitudine potestatis*: ubi supponitur R. Pontificem confirmasse electionem celebratam ab eis, quorum unus erat excommunicatus, ex plenitudine potestatis, & supplendo defectum ipsius electioni: igitur quia electio mero jure non sustinebatur.

3 Excommunicatio duplex.

Sed adhuc præsens Innocentii decisio defensanda est, pro cujus expositione primo sciendum est, omissis variis communioribus speciebus, & diversis excommunicationis definitionibus, quas tradunt, & illustrant Suarez, Sayrus, Alterius, Avila, Gibalinus, & Leander *in suis tractatibus de censuris*, Morinus *lib. 2. exercit. c. 1.* Albaspinus *lib. 1. observ. c. 1. cum seq.* excommunicationem communiter dividi in majorem, & minorem; licet sub his nominibus non inveniamus expressam eam divisionem in toto Gratiani volumine; in eo enim privatio communionis simpliciter excommunicatio dicitur, *c. sicut Apostoli, c. si quis 38. c. cum excommunicato 38. 11. qu. 3.* aliquando anathema appellatur, *c. Engelrudam 3. qu. 4. c. nemo 41. c. quoniam 103. cum seq. 11. question. 3. c. de presbyterorum 17. qu. 4. c. P. Guillarius 23. qu. 4.* exponemus *in c. cum ab homine 10. de judicis*. In hoc decretalium volumine prædicta divisio expressa reperitur, ut in præsenti textu, *c. significavit, c. finali, de sent. excomm.* Effectus autem majoris, & minoris valde diversi sunt; siquidem excommunicatio major non solum privat perceptione activa, & passiva Sacramentorum, verum & communione fidelium, *c. penult. de sentent. excomm. c. 2. de except. c. cum excommunicato, c. excommunicatos, 11. qu. 3.* majori enim excommunicatione ligatus, separatur ab aliorum consortio, tamquam ovis morbosa, *c. corripiatur 24. qu. 3.* quæ privatio communionis, atque commercii facit, ut nullus cum excommunicato habere possit communionem, nec ipse se valeat ingerere actibus societatis humanæ, *dist. c. cum excommunicato, capit. sicut Apostolis*; veluti in actibus judicialibus, *cap. ad probandum 24. quæst. 3. c. 2. de except. cap. intelleximus, de judiciis*, ubi dicemus: item in collationibus beneficiorum, *cap. unico, ne sede vacante in 6.* quare nec electionibus ecclesiasticis interesse debent, *c. finali, de clerico excommunicato*, Ricciulus *lib. 4. de personis extra gremium, c. 3.* Illustrissimus D. Franciscus Ramos *in dist. memor. ad Alexand. VII. pro Episcopat. Lusit. proposit. 3. n. 86.* & si talibus electionibus interfint, eorum suffragia non attendantur, nec numerantur, *c. bona, el 1. hoc tit. c. cum dilectus, de consuet.* Secundo sciendum est, quod cum excommunicatus majori excommunicatione ligatus, privatus sit communione fidelium, si quis contemptis Ecclesiæ clavibus, cum eo communicaverit, in minorem excommunicationem incidit, *c. sicut Apostoli, c. excommunicatos, c. cum excommunicato, 11. qu. 3. c. nuper, c. significavit, de sentent. excomm. c. sæpe, de his, quæ vi*: unde in præsenti textu Innocentius III. affirmat, communicantem cum excommunicato simplicem excommunicationem incurrere, id est minorem, quæ simplex dicitur. Hæc autem minor excommunicatio, quæ ob communicationem cum excommunicato, vel ob similes causas incurritur, privat tantum communione sacra, id est sacramentorum perceptione, *c. penult. de sent. excomm. c. si celebrat, de clerico excom.* Est enim excommunicatio minor censura ecclesiastica, qua baptizatus privatur passiva participatione sacramentorum. Covar. *in cap. alma mater, 1. p. in princip. n. 4. & §. 8. n. 1.* Gibalinus, Leander, & alii de excommunicatione agentes; non autem privat activa, aut jurisdictione propria: unde ea censura ligatus, potest sacramenta administrare absque eo, quod irregularitatem incurrat, *c. si celebrat, de clerico excomm.* & per consequens omnia valet rite peragere, quæ ad jurisdictionem, & similes actus spectant, ut dicemus *in c. 2. de except.*

4 Traditur decidendi ratio.

Ex quibus provenit vera decisiva ratio præsentis textus, nam cum excommunicatus minori excommunicatione tantum sit privatus participatione Sacramentorum, quæ in sola perceptione consistit, ut ait Pontifex *in d. c. si celebrat*, utique ab ea tantum arcetur communione, per quam pervenitur ad eam perceptionem, ut est electio passiva, *d. c. si celebrat, c. postulasti, de clerico excomm. c. audivimus 4. 24. q. 1. c. 1. de officio Vicar. in 6. c. veniens 38. in fine, de testibus*, Petrus Gregor. *lib. 4. partit. tit. 16. c. 7.* non tamen ab electione activa, quia illa extrinsecus se habet ad participationem Sacramentorum, ut docent Glossa *in d. c. si celebrat, verbo Negligere*, Covar. *in d. c. alma, 1. p. §. 8. n. 3.* Suarez *de censuris disp. 24. sect. 2. n. 4.* Hugolinus *de censuris tabula 3. c. 6. §. 4. n. 4.* Nec interest, an minor excommunicatio ab homine, an a jure inflicta sit, quia in qualibet ex eis eadem ratio militat, quamvis contrarium doceri videatur *in l. 6. tit. 9. p. 1.* Unde cum in præsenti textu agatur de illis, qui ex participatione cum excommunicato in minorem excommunicationem inciderunt, merito deducitur electionem cum eis celebratam tamquam canonice factam esse confirmandam, cum per simplicem excommunicationem jus eligendi non amiserint.

5 Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat difficultas supra adducta, quæ procedit in majori excommunicatione ligatis; verum enim est, quod si ipsi majori excommunicatione ligati cum aliis actum humanum celebraverint, hujusmodi actus vitiatur, *dict. c. ad probandum*, quod etiam in electione procedit; cum enim excommunicati majori excommunicatione eligere non valeant, *c. cum inter, hoc tit. c. postulasti, c. si celebrat, c. finali, de clerico excomm.* pluribus relatis docet Petrus Gregorius *dict. lib. 4. partit. tit. 16. c. 7.* si alii cum eis elegerint, electio vitiatur. Riccialus *de jurepatr. l. 4. c. 3.* Nec solum hoc procedit, si plures excommunicati in ipsa electione concurrant, verum si unus tantum, dum tamen ejus suffragium profit electo, quia sine eo non eligeretur; talis enim electio vitiatur. Leander *ubi sup. c. 8.* Garzia *tom. 2. polit. ubi sup.* quæ doctrina procedit hodie in excommunicato non tolerato, quem vitare debemus, ex extravaganti *ad evitanda*, non vero in occulto: ille enim quamvis majori excommunicatione ligatus sit, electionem non vitiat, ut docet pluribus adductis Garzia *ubi supr.* Sed dubium est, an casu, quo suffragium excommunicati necessarium non est ad electionem, si admittatur, eam vitiet? Affirmant aliqui; sed rectius, pluribus relatis, negant Leander *ubi sup. q. 10.* & Garzia *ubi proxime*: unde si in nostro textu ad electionem admissi essent majori excommunicatione ligati, electio nulla esset: sed cum tantum minori essent irretiti, ex participatione cum excommunicato contracta, ideo electio ab eis celebrata sustinetur. Nec argumentum difficultatis adversatur; nam licet Innocentius affirmet se supplere ex plenitudine potestatis defectus electionis; non tamen id fecit ex necessitate, sed ex superabundantia, ut inquit Glossa secunda in nostro textu, Innocentius, & alii antiquiores, Suarez, *de censuris d. disp. 24. sect. 2. num. 13.*

6 Exponitur Clement. ne Romani §. ceterum, de elect.

Sed superiori assertioni opponitur textus *in Clement. ne Romani, §. ceterum de elect.* ubi aperte docetur, quod si in electione Romani Pontificis aliqui ex Cardinalibus reperiantur majori excommunicatione ligati, non ideo electio Romani Pontificis vitiatur: igitur sive minori, sive majori excommunicatione ligati cum aliis admittantur ad electionem, non ideo electio vitiatur. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo eum textum specialiter procedere in electione Romani Pontificis, ne schisma, divisiones, aut alia similia sequantur, si Cardinales etiam majori excommunicatione ligati non admittantur ad electionem: quam, & alias specialitatis rationes illustrant Suarez *de censuris disput. 24. sect. 2. num. 19.* Petrus Gregorius *dict. c. 7.* Leander *ubi supra quæst. 13.*

7 Explicatur c. un. ne Sede vacante, lib. 6.

Ex supra traditis lucem accipit textus *in c. unico, ne Sede vacante, lib. 6.* ubi asseritur, quod si collatio beneficiorum ad Capitulum simul, & Episcopum spectet, & Capitulum in suspensionem inciderit, collatio ad Episcopum devolvitur: idem etiam docetur, cum aliqui ex Capitulo excommunicati reperiuntur, tunc enim ad Episcopum devolvi collationem: ex qua decisione constat, aliquibus ex Capitulo excomunicatis, electionem ab aliis celebrari non posse; qui textus procedit in majori excommunicatione ligatis: nam si tantum minori excommunicatione essent irretiti, non tamen electio, seu collatio spectaret ad solum Episcopum, sed etiam ad Capitulum, admissis etiam excommunicatis, ut præsensit Ricciulus *d. lib. 4. cap. 3.*

CAPUT XL.

Innocentius III. *Magistro Maximo a Notario nostro*.

SCriptum est in Apocalypsi Joannis, quod in medio sedis; & in circuitu sedis erant quatuor animalia plena oculis ante, & retro. Primum animal simile leoni; secundum animal simile vitulo; tertium animal habens faciem, quasi hominis; & quartum animal simile aquilæ volanti: & quatuor animalia singula eorum alas senas habebant. Sedes ista Romana Ecclesia intelligitur, quæ usitato vocabulo Sedes Apostolica nuncupatur. Utique sedes Agni, sedes

sedes viventis in sæcula sæculorum. In medio cujus quasi filiæ in gremio resident, & in circuitu adstant, quasi famulæ in obsequio, *b* quatuor Patriarchales Ecclesiæ, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, & Constantinopolitana, quæ per illa quatuor animalia designantur. Marcus enim Alexandrinam fundavit, & rexit Ecclesiam, qui secundum visionem Ezechielis accipitur per leonem, eo quod Evangelium incœperit a rugitu, dicendo: Vox clamantis in deserto. Et quia quemadmodum leo catulum suum post diem tertium suo afferitur excitare rugitu: sic Deus Pater Filium suum, qui leo, de tribu Juda esse describitur, de cujus resurrectione principaliter tractat Marcus, Divinitatis suæ potentia post triduum a mortuis suscitavit. Unde in die Resurrectionis Dominicæ ipsius Evangelium antonomastice in Ecclesia recitatur. Lucas autem fuit natione Antiochenus, qui propterea in vituli figura describitur; in quo Sacerdotalis hostia designatur, quoniam a Sacerdotio inchoans Evangelium, de immolatione tractavit, præcipue summi Sacerdotis, & veri, qui est hostia salutaris, vitulus videlicet saginatus, quem pater jussit occidi pro filio prodigo redeunte. Unde bene per ipsum Antiochena Ecclesia designatur, in qua primum Apostolorum Princeps in summi Sacerdotii Cathedram a Fidelibus extitit sublimatus. Matthæus quidem fuit natione Judæus, & Evangelium primus descripsit etiam Hebraice in Judæa; & ob hoc per hominis speciem designatur, quod ab Incarnatione Christi suum inchoans Evangelium, principaliter humanam ejus nativitatem ostendit, quam ipse Christus de Judæis, & in Judæa pro nobis assumens, Hierosolymitanam Ecclesiam Metropolim Judæorum sua humana præsentia consecravit, de qua dictum fuerat per Prophetam: Homo factus est in ea, & ipse fundavit Altissimus. Joannes vero Asianam fundavit Ecclesiam, & Apocalypsin septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, ipse descripsit, quibus, & ceteris Græcorum Ecclesiis Constantinopolitana tamdem præferri meruit, & præponi, per aquilam merito designata; quia sicut aquila volatu omnes aves excellit, & oculorum ejus intuitum solis radius non offendit; sic Joannes tribus aliis animalibus in terra relictis, supra cælos cælorum ascendens veram lucem oculis irreverberatis aspexit, & a divina Verbi nativitate suum inchoavit Evangelium; qui licet inter universos Evangelistas fuerit ultimus tempore, præcipuus tamen extitit dignitate: quoniam in cœna supra pectus Christi recumbens, fluenta doctrinæ de ipso sacri Dominici pectoris fonte potavit. Sic Constantinopolitana Ecclesia; licet posterior tempore, postmodum propter honorificentiam piissimi Constantini prælata est aliis dignitate; sicque facti sunt primi novissimi, & novissimi primi. Ut merito ipsi dicatur: Multæ filiæ congregaverunt divitias, sed tu sola supergressa es universas. Ad cujus Ecclesiæ regimen talis est Pontifex assumendus, qui ad similitudinem quatuor illorum animalium, ante, & retro plenus sit oculis, ut pleno lumine veteris, & novi Testamenti mysteria contempletur, per experientiam videns præterita, & futura prævidens per cautelam; Debet etiam habere sex alas, scilicet sex legum notitiam; Naturalis, Mosaicæ, & Prophaticæ, Evangelicæ, Apostolicæ, & Canonicæ, quibus perfecto libramine inter cælum volans, & terram, de terris ad cælestia, & de temporalibus transvolet ad æterna. Sane ad hanc Ecclesiam duo quædam animalia sunt vocata, utinam plena oculis, & alas habentia, videlicet venerabilis frater noster *c* Heracliensis Archiepiscopus, & dilectus filius *d* Plebanus Sancti Pauli de Venetiis, sicut per procuratorem, tam postulantium Archiepiscopum, quam eligentium Plebanum fuit propositum coram nobis. Proposuerunt siquidem procuratores electorum Plebani; quod cum Ecclesia Constantinopolitana vacante Canonici Phil. Decanum suum sibi elegerint in Pastorem, & nos cassaverimus electionem eamdem, quia quibusdam exclusis, qui adesse deberant, extitit celebrata: ne diu gregi Fidelium deesset cura Pastoris, tam Canonici, quam quidam alii, qui se in electione Constantinopolitani Patriarchæ jus habere dicebant, ut de electione tractarent, ad invicem convenerunt. Cumque septem *e* personæ pro septem Præpositis se offerrent; & quidam alii pro ceteris Prælatis se tractatui electionis ingererent; post multam concertationem, tam illas septem personas, quam duas alias ad universitatis instantiam, quæ tamen duas tantum voces haberent, salvo in omnibus jure suo, tam in præsenti, quam in futuro, pro bono concordiæ receperunt. Sed factum est, quod humani generis inimico, qui unitatem Ecclesiæ scindere nititur, super seminante zizania messi dominicæ, in duas partes sunt vota divisa, novem de Canonicis, & novem aliis prænominatis personis postulantibus Archiepiscopum memoratum; & quindecim Canonicis, & Præposito SS. Apostolorum Plebanum eligentibus supradictum, cujus electioni Cantor, qui propter utilitatem absens erat Ecclesiæ, & ante tractatum electionis per litteras suas consensum expresserat de Plebano, si aliis complaceret; & octo alii Canonici, qui electionis tempore non fuere præsentes, suum præstitere consensum: & sic in Plebanum prædictum vota vigintiquatuor Canonicorum, & unius Præpositi convenerunt. Dicebant ergo, postulantium numerum esse minorem, cum decem, & octo tantum Archiepiscopum postularent, de quibus quosdam eorum, quos cum præfata protestatione sui juris admiserant, excludere nitebantur; duos videlicet de Blakerna, & Cuccaleone Præpositos; quia cum per exemptionis privilegium a Sede Apostolica impetratum se subtraxerint oneri, tacite renuntiasse videbantur honori, ut ad electionem non pertinerent illius, cui electo nullatenus subjacerent. Alii quatuor non erant Præpositi, sed aliarum Ecclesiarum Clerici, qui se tractatui electioni suorum Præpositorum nomine ingerebant, quia eorum domini adeo absentes erant, quod ad tractatum electionis vocari commode non poterant, nec debebant; quoniam, si absentes possent per procuratores adesse, vix jura devolverentur absentium ad præsentes, cum raro contingeret, quod per se, vel per alios interesse non possent. Septimus autem, qui præsens extiterat, jam *f* electus, & confirmatus in Archiepiscopum *g* Vericensem, & translatus ad suam Ecclesiam, possessionem ejusdem adeptus fuerat corporalem. Et licet universitas Clericorum quatuor prius pro se postularet admitti, quia tamen pars Canonicorum tot nolebat admittere, ne numerus aliorum nimis excresceret, ita tandem pro bono pacis extitit ordinatum, ut duo tantum admitterentur ex illis, cum protestatione prædicta; & ideo eligentes asserebant illos duas tantum voces, & non ceterorum habere, maxime cum triginta Præposituræ fuerint ad septem redactæ quæ tamen nondum fuerunt auctoritate sui judicis approbatæ. *h* Conventuales autem Ecclesias ultra quinque, vel sex tunc temporis esse negabant; & si plures fuissent, tempore tamen electionis prædictæ Prælatos earum dicebant non fuisse præsentes. De malo denique zelo intendebant arguere postulantes, eo quod, ut proponebant, illiteratum, & impudicum ex certa scientia postularant, cujus incontinentiam dicebant per filium in monachatu genitum, paternæ libidinis testem posse probari. Eumdem etiam Archiepiscopum de ambitione notabant, eo quod in vigilia *i* Nativitatis Dominicæ se suæ subtraxit Ecclesiæ, ut esset in urbe Regia, ubi tunc erat postulatio celebranda; & passus est cum hymno, Te Deum laudamus, se in sede locari, in qua prosestis diebus residere consueverat ipse Patriarcha. Qui etiam auctoritate propria bona Patriarchatus post mortem Patriarchæ distribuens, ejusdem sigillo violenter arrepto de scrinio Camerarii, litteras quasdam, quibus illud impressit, distribuit pro suæ voluntatis arbitrio, in Ecclesiæ Constantinopolitanæ præjudicium, & gravamen. Quod totum, & alia in Capitulo fuere proposita, cum quidam de ipso postulando tractarent. Unde petebant, ut cum pars postulantium Archiepiscopum esset numero minor, inferior zelo, & a suo jure ceciderit postulando scienter indignum, electionem confirmare factam de dicto Plebano canonice dignaremur. Maxime cum ipsi usi fuerint jure communi, personam eligibilem eligendo, quod ordinarii juris extitit: & alii juris communis contempto beneficio, ad extraordinarium auxilium transvolarint. Ad hæc procuratores partis alterius responderunt, quod universi Prælati Conventualium Ecclesiarum apud Constantinopolim existentium, per nostram constitutionem in electione Constantinopolitani Patriarchæ jus habent. Unde universitas Prælatorum, de qua in eadem constitutione cavetur expresse, restringi non debet ad septem, cum ratione suæ dignitatis in hoc bene fuerit Ecclesiæ memoratæ provisum: tum ut sanior haberetur super electione tractus, cum integrum sit judicium plurimorum sententiis confirmatum: tum etiam, ut per numerum Prælatorum illis posset occurri, qui Dei Sanctuarium jure volebant hereditario possidere. Addebant etiam, quod præfatæ constitutionis beneficium duo exempti Prælati per exemptionis privilegium nullatenus amiserunt; cum ea, quæ in favorem alicujus introducta sunt, in ejusdem læsionem non debeant redundare, & per privilegia Pontificum Romanorum, addi, non autem subtrahi consueverit illis, quibus specialiter indulgentur: etiam propter prædictam maxime rationem, ut illis obsisterent prudenter, qui Domini Sanctuarium moliuntur in jus hereditarium usurpare. Unde iidem excludi non poterant, nec debebant, ea etiam ratione, quod septem nomine septem Præpositurarum, ac duo vice, ac nomine vigintitrium Prælatorum pro ipsa Universitate fuerint a Canonicis ad tractatum electionis admissi: & sic cum in postulatum vota septem Propositorum, & decem, & octo Prælatorum præsentium, & aliorum sex absentium, quorum procuratores erant in civitate præsentes, consensu mediante illorum duorum concurrerint, pro parte sua ultra duplo majorem numerum allegabant; cum in Plebanum quindecim tantum Canonici, & unus Præpositus a principio consensissent, nec aliquid eis juris accreverit in hoc casu per subsequentem consensum novem Canonicorum, qui electionis tempore non fuerunt præsentes, nec vocari potuerant commode, nec debebant. Præsertim cum octo ex illis *j* tanto tempore fuis-

fuissent absentes, quod secundum constitutionem Patriachæ, ac Capituli Constantinopolitanorum, pro Canonicis nullatenus haberentur. Auctoritatem etiam introducebant pro se, cum regulariter majoris auctoritatis Prælatus, quam simplex Canonicus habeatur. Bonum vero zelum ea ratione probabant, quod Venetum pro vitando scandalo, longæ conversatione notum, laudabili administratione probatum, earum Clericis, & acceptum laicis postularant, in quem assensus Principis, suffraganeorum vota, plebisque desiderium concurrebant, nec debebant aliquid sinistrum de illo præsumere, quem & excellentia dignitatis, & communis reddebat fama præclarum. Nec etiam erant adversarii audiendi, qui promotionis ejus tempore tacuerunt, nisi forte aliquid novum proponerent, vel quod postmodum didicissent. Maxime cum objectam notam incontinentiæ, si qua forsitan præcessisset in ipso, quod tamen inficiabantur omnino, subsequens longæ conversationis delevisset honestas. Proposuerunt etiam, quod nisi pars altera se ab injuriis temperaret, intendebant quædam proponere, tam in personis eligentium, quam electi. Ad excusationem vero ejusdem Archiepiscopi super objectione ambitus proponebant, quod idem ex honesta, & probabili causa Constantinopolim venerat, & habebat necesse frequenter accedere, tum propter k negotia Patriarchalis Ecclesiæ, tum etiam propter executionem ultimæ voluntatis Patriarchæ defuncti, suæ discretioni commissæ; qui licet interfuit Vesperis, & Matutinis in Patriarchali Ecclesia, ob solemnitatem diei, in loco tamen l Decani resedit, nec aliquid de Patriarchalibus usurpavit. Ipsum etiam litteratum, etsi non eminenter, competenter tamen esse dicebant, sufficientem intelligentiam, & eloquentiam de Scripturis, & in Scripturis habentem. Nihilominus allegantes, quod etsi quædam conventuales Ecclesiæ tunc vacarent, aut forsan propter pauperiem non haberent numerum Clericorum, ipsum Capitulum, aut etiam unus, qui vicem Capituli retineret, ad electionem pro Prælato deberet admitti, cum in talibus sæpe Capitulum vicem consueverit supplere Prælati, & nomen ac jus universitatis multoties devolvatur ad unum, & retineatur in uno. De malo nihilominus zelo arguebantur electores Plebani, eo quod hominem elegerant, quem electionis tempore credebant in minoribus Ordinibus constitutum, asserentes quod in vigilia Nativitatis Dominicæ altera pars apud Constantinopolim consenserat in Plebanum, qui se paulo ante apud Venetias fecerat in Subdiaconum promoveri. Ex quo inferebatur, quod si hoc actum fuerit ex condicto, non poterat ambitione carere. Si vero prærordinatum non extitit, cum propter locorum distantiam hoc ad eligentes tam brevi tempore nequiverit pervenisse, sequitur quod secundum conscientias suas ineligibilem eligebant: vel si error ad excusationem accusatione non vacuam allegetur, in confessionem negligentia veniet, quæ super iis non multum distat a culpa. Adjiciebant etiam, quod magis erat extraordinarium consentire in hominem non solum extra totum Patriarchatum, verum etiam extra totum Imperium constitutum, quam in vicinum, & familiarem suffraganeum ejusdem Ecclesiæ, de cujus Pastoris electione tractatur. Personam quoque Plebani de vehementi ambitione notabant, dicentes, quod ipse per litteras suas quosdam Constantinop. Canonicos expresse *m* rogaverat, ut eum in suum eligerent Patriarcham; quod pars adversa negabat. Unde petebant postulatores Archiepiscopi sæpedicti, ut cum esset pars altera zelo, auctoritate, ac numero minor, cassato quod factum fuerat de Plebano, postulationem ipsorum admittere dignaremur. Verum quia de iis, quæ per assertiones partium in judicium deducta fuerunt, nobis non potuit fieri plena fides, quamvis super iis, quæ de numero dicta sunt postulantium, per quoddam publicum instrumentum, & litteras Vicarii Constantinop. nec non confessionem procuratoris partis adversæ, in judicio quidem factam, sed postea revocatam, pars altera suam intentionem assereret esse fundatam, causam ipsam discretioni tuæ duximus committendam, per Apost. scripta mandantes, quatenus super iis, & aliis inquiras, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, diligentissime veritatem de meritis electi, & postulati apud Venetias, ubi *n* nati fuerunt, & diutius conversati. De studiis autem eligentium, & postulantium, & omnibus generaliter, quæ causam possint instruere apud Constantinopolim ubi hujusmodi postulatio, & electio celebratæ fuerunt, & si partes consenserint, procedas hoc modo, ut si constiterit de mutuo convenisse consensu, quod ad electionem Patriarchæ septem admitterentur Præpositi, sive per seipsos, sive per alios, & duo alii ex parte Universitatis pro ceteris conventualium Ecclesiarum Prælatis; totque tunc temporis Conventuales Ecclesias habuisse Prælatos, qui cum septem Præpositis, & novem Canonicis, quos quidem Canonicos constat in postulatione præfati Archiepiscopi convenisse, duplo majorem facerent numerum, quam sexdecim electores Plebani, tu vice nostra postulationem admittas, nisi probatum fuerit postulato aliquid obviare de canonicis institutis, quod promotionem ipsius debeat impedire: ac Plebani electione cassata, ipsum Archiepiscopum absolvas a vinculo, quo Heracliensi tenetur Ecclesiæ, concedendo ipsum Constantinopolitanæ Ecclesiæ in Pastorem, & faciendo ipsi per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, reverentiam, & obedientiam debitam exhiberi. Quod si ad faciendum duplo majorem numerum simul omnes prædicti minime fuffecerunt, sive dignus, sive indignus sit postulatus, tu postulatione repulsa, electionem Plebani auctoritate nostra o confirmes, dummodo nihil obsistat eidem, quod ipsum tanto Præsulatu reddat indignum, ad imperiendum reverentiam, & obedientiam sibi debitam, ac devotam, quoslibet sibi subjectos, ni necesse fuerit, sublato appellationis obstaculo, canonica districtione compellens. Si vero numerus postulantium inventus fuerit duplo major, quemadmodum est prædictum, & persona postulata indigna reperta fuerit, tu tam postulationem, quam electionem non differas reprobare; nisi forsan omnes, aut major pars postulantium præsumptione damnabili postulaverint scienter indignum, ut hac vie merito debeant eligendi, seu postulandi potestate privari: & in hoc quoque casu electionem confirmes, si de persona idonea constiterit esse celebratam. Porro si tam electionem, quam postulationem cassari contigerit, aut altera partium postulante causam ad nos instructam referri, tu ex parte nostra districte præcipias Canonicis, & Prælatis, ut procuratores idoneos ad Apost. Sedem studeant destinare, per quos, aut unum ex iitis, si contigerit approbari, aut alium quem nos eis duxerimus præferendum, aut quem ipsi forte postulaverint, vel elegerint, si eis de benignitate nostra fuerit postulandi, vel eligendi concessa potestas, in Patriarcham recipiant: cum tantam Ecclesiam nolimus manere diutius Pastoris solatio destitutam: & ad hæc, & alia quæ ipsorum consensum desiderant, eis vices suas plene committant. Tu ergo Deum solum habens præ oculis, cum omni studio, & cautela secundum præscriptam formam procedas in negotio memorato, nisi forsan Apost. Sedis Legatus prævenerit; per quem una tecum ipsum negotium expediri secundum præscriptam formam volumus, & mandamus. Datum Signiæ xv. Kal. Septemb. Pontif. nostri anno XV.

NOTÆ.

1 a *Notario.*) Ita restituo inscriptionem, & litteram hujus textus ex regestro epistolarum Innocentii III. edito a Bolqueto, ubi *lib.* 3. *epist.* 154. reperitur textus hic. De hoc officio Notarii late agit Cohelius *in nostris Caudin. cap.* 32. Maximo Notario commissa fuit præsens causa, videlicet postulationis Heracliensis Archiepiscopi, & electionis Plebani Sancti Pauli: sed cum Venetias pervenisset, & inde Constantinopolim progredi non posset, ipsius causæ cognitio sub eadem formula, sub qua commissa fuerat Maximo, delegata fuit Pelagio Cardinali Albanensi Episcopo, ut constat ex epist. 112. *lib.* 4. *ipsius regestri*, ibi: " Cum causam super postulatione, quam de venerabili fratre nostro ∴ Heracliensi Archiepiscopo, & electione de dilecto filio ∴ Plebano S. Pauli de Venetiis in Constantinopolitana Ecclesia celebratis, dilecto filio Magistro Maximo Notario nostro duxerimus committendam; & idem profecisens usque Venetias, in negotio pro parte processerit; quia tamen per Venetias Constantinop. transitum habere non potuit, causam ipsam tuæ fraternitati, de qua plene confidimus, duximus committendam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus in eadem secundum formam comprehensam in litteris directis ad eumdem Magistrum, appellatione remota procedas. Tu denique frater Episcope, super te ipso, &c. Dat. Signiæ 14. Kal. Octob. Pont. Nostri XVI. *Et ex epist.* 15. ibi: " Alterius absentiam exequentes, venerabilem fratrem nostrum P. Albanensem Episcopum, virum litteratum, providum, & honestum, quem inter fratres nostros speciali diligimus charitate, a Latere nostro Legatum in Constantinopolitanum Imperium destinamus. *Et ex epistola* 106. "

Hujus textus historia, tam ex Scriptoribus ipsius sæculi, quam ex regestro epistolarum ipsius Innocentii deducta, ita contigit. Defuncto Thoma Mauroceno Patriarcha Constantinopolit. qui præerat ipsi Ecclesiæ per annum 1211. & in inobedientia Sedis Apostolicæ Græcos fovebat, *c. licet, de baptismo*, cui etiam scribit Innocentius *lib.* 1. *regest.* 13. *ep.* 8. actum est de eligendo successore; & cum tres fuissent postulati ad prædictam Ecclesiam, Innocentius III. juris rationibus motus talem postulationem irritavit, seu potius rejecit, ut constat ex libro 2. *regestro* 14. *epist.* 97. ubi hujus postulationis casus refertur: & quia non modicam lucem præsenti decisioni affert, eam ex editione Bosqueti transcribo. (Per litteras vestras, filii Prælati, nostro nuper Apostolatui referastis; quod bonæ memoriæ T. Patriarcha Constantinopolitano, apud Thessalonicam extrema ægritudine laborante, vos ne circa Patriarchæ substituendi electionem vobis præjudicium fieret metuentes, in Ecclesia S. Sophiæ, Decano, & Canonicis ejusdem præsentibus, nostræ constitutionis authenticum, quod super forma electionis in Constantinopolitana Ecclesia celebrandæ a nobis dudum obtentum fuerat, perlegistis. Sed cum propter quorumdam Canonicorum absentiam certum recipere nequiveritis tunc responsum, auctoritate studuistis Apostolica prohibere, ne super electione in vestrum præjudicium, sive contra mandati nostri tenorem, aliquid fieret, ad Sedem Apost. appellantes. Cumque die tertia pro reciendo responso, prout condictum fuerat, venissetis, multitudinem Venetorum in eadem Ecclesia inveniistis, tam in stallis, quam circa altare irreverenter armatam, & eis, qui electioni se Venetorum opponerent, membrorum truncationem, ac mortem, non absque multis clamoribus intentantem. Vobis autem spectantibus de foris, quædam Venetorum Canonicorum pars prosiliens subito de conclavi, ubi fuerant obserati, nonnullis ex canonicis aliis recedentibus a consilio eorumdem, Decanum ejusdem Ecclesiæ nominavit. Quod vos extrinsecus positi sentientes, electioni hujusmodi studuistis contradicere juxta posse, in craftino appellationem prius ad nos interpositam coram Constantinopolitani Cleri multitudine innovando. Postmodum vero tres personas, videlicet V. P. N. Cremon. Episcopum, & dilectos filios P. tituli S. Marcelli Presbyt. Cardinal. & Magistrum R. de Gorzon Canonicum Parisiens. unanimiter nominantes, easdem a Sede Apost. postulastis, ut earum aliqua juxta nostræ voluntatis arbitrium præficeretur Ecclesiæ memoratæ. Cum autem nuper utriusque partis procuratoribus propter hoc apud Sed. Apostol. constitutis, super electione, ac postulationibus memoratis inquisissemus plenius veritatem, licet ex parte vestra, filii Capitulum, propositum fuerit, quod priusquam statutum Apostolicum vobis ostensum, aut aliqua prohibitio facta fuerit, tractatus habitus fuerat super prædicti electione Decani, quæ nondum extiterat publicata; quia nobis constitit evidenter, electionem ipsam a vobis, filii Capitulum, post statutum Apostolicum vobis ostensum, & appellationem ad nos legitime interpositam, quibusdam exclusis atque contemptis, qui volebant, & debebant pariter interesse, minus canonice fuisse celebratam, ut de ceteris quæ tam contra electionis processum, quam contra personam electi fuere proposita taceatur; & ad postulationes præfatas a vobis, filii Prælati, inconsulte processum: tam illam, quam istam de fratrum nostrorum consilio duximus reprobandas, Devotioni vestræ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus omni vitio simultatis exploso, tam loco, quam voto convenientes in unum, & S. Spiritus gratia invocata, talem vobis personam eligatis canonice in Pastorem, quæ scientia, vita, & fama præpollens, tanto congruat oneri, & honori, ut vestris parcatis laboribus, & expensis, & Apostolicum vobis favorem ex hoc valeatis plenius comparare. Pro certo scientes, quia si vel persona non esset idonea, vel forma canonica, nos defectum vestrum auctoritate Apostolica suppleremus. Dat. Laterani Non. Aug. anno XIV.) Hac postulatione ita cassata, electores iterum de electione tractantes, in duas partes divisi fuerunt. Aliqui postularunt Præsulem Heracliensem; alii vero elegerunt Laurentium Plebanum S. Pauli: & cum controversia talis electionis Innocentio III. proponeretur, ipse causam terminandam commisit Maximo Notario, cujus delegationis litteræ in præsenti referuntur: & cum Venetiis moratus causæ finem non imposuisset, iterum causa commissa fuit Pelagio Albanensi Episcopo. Exitus tamen hujus controversiæ, & quis ex ipsis electis confirmatus fuisset, non constat. Spondanus post Baronium *anno* 1215. *nu.* 12. existimat prævaluisse Venetos, & tertium, videlicet Matthæum, electum fuisse. Illud liquet, Honorium III. circa expensas factas in hujus litis progressu rescripsisse *in cap.* 4. *de constit. in* 5. *collect.* in hæc verba: *Ut preterita contentionis decisa materia futuris litigiis occasio amputetur, presenti auctentica statuimus, ut expensæ necessariæ, quæ Capitulum Constantinopolitanum, vel ejus nuntii vacante sede pro electionis negotio fecerint, de bonis Patriarchatus fiant totaliter, vel reddantur, dummodo ipsi bona decentis Patriarcha non accipent, vel usurpent.* Refertur *infra hoc tit. c. ut preterita.*

b *Quatuor Patriarchales.*) De quarum Sedium origine, & dignitate agemus *in c. antiqua, de privil.*

c *Heracliensis.*) Heraclea Civitas est prælata in Thracia, ante Perinthus dicta, ut legitur apud Theodoretum *l.* 1. *c.* 28. ad mare sita prope Byzantium, olim Metropolis prima Orientis, nunc secunda post Constantinopolim. Procopius *l.* 4. *de ædificiis Justiniani*. Ante Constantinum Patriarcha Constantinopol. consecrabatur ab Heracliensi, ut refertur in relatione Synodi Constantinop. ad Hormisdam; sed postea Primatu translato Constantinopolim; tantum Archiepiscopalis Heraclea remansit, ut referunt Philippus Berterius *diatriba* 2. Cruzius *in Turco-Gracia*, *l.* 4.

d *Plebanus.*) Idest Rector, seu Parochus Ecclesiæ S. Pauli; plerumque enim Rectores, seu Parochi Ecclesiarum Parochialium, appellantur Plebani, *ut in c.* 2. *ut lite non contest.* ubi mentio fit Plebani S. Marci: *c. fun.* 5. *de officio Vicarii*, ubi agitur de Plebano S. Petri: *c. litteris* 29. *de offic. deleg.* ubi mentio extat Plebani S. Sophiæ: & *in c. ex ratione* 8. *de appell.* mentio fit Plebani S. Macarii: & *in c. cum olim, de præscript. cap. ad audientiam, de Ecclesiis ædificand. c.* 1. *ne clerici, vel monach.* notarunt Filesacus *de origin. Paroch. c.* 3. Barbosa *de officio Parochi*, *c.* 1. *n.* 5.

4 Plebanus quis.

e *Septem personæ.*) Quando procurator absentis ad erigendum admittatur, dicemus *in c. quia propter*, §. *ult. infra hoc tit.*

f *Electus, & confirmatus.*) Unde ipso jure vacarunt præbendæ: & beneficia, si quæ habebat, *cap. cum in cunctis*, §. *cum vero, supra hoc tit.*

g *Verricensis.*) Quæ diœcesis est in Provincia Thessalonicensi, ut refert Bosquetus *in notis ad Innoc. III. l.* 1. *epist.* 13.

h *Conventuales.*) Innocentii III. temporibus Monachorum Prælati admittebantur ad electionem Episcopi, Archiepiscopive diœcesani, *c. obeuntibus*, 63. *dist. c. cum Ecclesia, de causa possess.*

i *Nativitatis Dominicæ.*) Contra Canonem 64. Concilii Aghatensis, ubi Patres sanxerunt, per triennium esse suspendendum Prælatum absentem a sua Ecclesia nocte sancta Nativitatis Domini.

6

j *Tanto tempore.*) Quodnam tempus illud sit, dicemus *in c.* 2. *de cleric. non resident.*

k *Propter negotia.*) Et jure, quia cum non esset superior in tota Orientali Ecclesia, nisi Summus Pont. ad ipsum cura viduatæ Ecclesiæ spectabat, ut probat Bosquetus *in notis ad hanc Epistolam.*

7

l *In loco Decani.*) Quia Episcoporum peregrinorum sedes erat prima post Episcopalem, & rogatus frequenter Episcopalia munia exercebat, & ad prædicandum invitabatur, ut probat Bosquet. *ad Innocens. d. lib.* 1. *ep.* 13. & nos dicemus *in cap.* 2. *de Cleric. peteg.*

8

m *Rogaverat.*) Quod fine lethali culpa an fieri possit, disputant Barbosa *de potest. Episc. tit.* 1. *c.* 2. Hier. Garcia *tom.* 2. *polit. regul. tr.* 9. *difficult.* 4. *dub.* 2.

n *Ubi nati.*) Ambo enim, tam electus, quam postulatus, Venetiis nati erant. Ut autem verum sensum horum verborum percipiamus, repetendum est, quod sæpius in hoc opere notavi, videlicet obsessa a Gallis, & Venetis Constantinopoli, inter alia pacta inter eos inita, quæ refetuntur in gestis Innocentii III. editis a Bosqueto, illud initum fuisse, ut si Imperium ejus urbis ad Francos pervenisset, Sedes Patriarchalis apud Venetos remaneret, ne utraque potestas, temporalis, & spiritualis penes unam gentem resideret. Unde cum Balduinus ex Gallis summa concordia Imperator renuntiatus esset, Thomas Mauroceuus ex Venetis Patriarcha electus fuit; & eo defuncto, cum de successore ageretur, tam electum, quam postulatum natos fuisse Venetiis proponitur. Referunt prædictam conventionem Befold. *in histor. Constantinop. pag.* 376. Philippus Berter. *diatriba* 2. *c.* 3. & ex ea lucem accipit text. *in c. ad decorem* 5. *de instit.*

9

o *Confirmes.*) Multa enim exempla, in quibus institutio Ecclesiæ Constantinop. facta fuit a R. Pontifice, etiam sub Græcis Imperatoribus, affert Michael Rousselius *lib.* 2. *histor. Pontif. jurisd. c.* 1. *n.* 12. juxta quem usum Thomas Mauroceuus confirmationem accepit a Summo Pontifice, ut refert Befoldus *ubi supra*, *fol.* 376. Sed hæc potestas per Græcorum schisma denegata fuit, recuperata vero Civitate Hierosolymorum a Gothofredo Lotharingio, & a Latinis deinceps possessa, restituta fuit hæc potestas Rom. Pontifici, ad quæ tempora juxta proxime tradita referenda est præsens decretalis. Tamen novissime, cum post reconciliationem factam inter Græcos, & Latinos in Conc. Florentino peteret Papa a Græcis, ut eligerent Archiepiscopum CP. in locum Josephi Florentiæ defuncti, noluerunt, dicentes Græcis semper moris fuisse, & instituere, & consecrare suum Patriarcham, nec Imperatorem passurum Romæ eligi, vel ordinari. Quo tempore Græci Imperatores consueverant in possessionem inducere Patriarcham; dato Pedo Pastorali, ut refert Codinus *cap.* 20. ubi plura Gretserus.

10

Ex hac Epistola, & ejus satis diffusa serie communiter deducitur, quod quoties concurrunt electio, & postulatio, duplo debet esse major numerus postulantium, quam eligentium; quam doctrinam examinavi, *in c.* 3. *de postul. Prælat.*

3 Heraclea ubi.

2 Textus Historia refertur.

CAPUT XLI.

Idem *in Concilio a Lateranensi.*

NE pro defectu Pastoris gregem Dominicum lupus *b* rapax invadat, aut in facultatibus suis Ecclesia *c* viduata grave dispendium patiatur, volentes in hoc, & occurrere periculis animarum, & Ecclesiarum indemnitatibus providere, statuimus, ut ultra tres *d* menses Cathedralis Ecclesia, vel Regularis Prælato non vacet, intra quos justo *e* impedimento cessante, si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum qui *f* proximo præesse dignoscitur, devolvatur. Is vero ad quem fuerit devoluta potestas, Deum præ oculis habens, non *g* differat ultra tres menses cum *h* consilio Capituli sui, & aliorum prudentium viduatam Ecclesiam de persona idonea, ipsius quidem *i* Ecclesiæ, vel alterius, si dignus non reperiatur in illa, canonice ordinare, si canonicam voluerit effugere ultionem.

NOTÆ.

1 a *Lateranensi.*) Generali videlicet, celebrato sub Innocentio III. ubi *c.* 23. textus hic reperitur, & etiam in quarta collectione, *sub hoc tit. c.* 8. De quo Concilio nonnulla adduxi *in c.* 1. *de summ. Trin.*

2 b *Lupus rapax.*) Idest hæretici, & alii Ecclesiæ hostes; illi enim plerumque sub nomine luporum designantur, *c. postquam* 11. 50. *d. c.* 20. *Actum Apost.* ibi: *Ego scio, quoniam introibunt post discessionem meam in vos, non parcentes gregi lupi rapaces.* Et *c. decreto* 11. *in fine princip. de heretic. l.* 6. Probant late Theologi positivi in *c.* 7. *Matthei, v.* 13. Lorinus *in d. c.* 20. *Actum Apost.* Zerda, & Ambianus *ad Tertull. de præscript.* in illis verbis: *Qui lupi rapaces, nisi sensus, & spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi.* Nicolaus Serarius *t.* 3. *opusc. l.* 1. *c.* 1. erudite, ut solet, Illustrissimus D. Franciscus Ramos *pro Episc. Tusiit. propos.* §. *ult. n.* 103.

c *Viduata.*) Ecclesia viduata dicitur, quæ Pastore caret. Concilium Calced. *can.* 25. *Redditur vero ejusdem viduatæ Ecclesiæ. Et can.* 76 Vita Fulgentii *c.* 16. *Nec viduatis plebibus providere Pastores dicebat.* Damasus Papa *in decr. c.* 2. *Episcoporum consecratio viduatis Ecclesiis non sine periculo protelatur.* Collatio Chartag. *l.* 185. *Aliquantas etiam nunc Cathedras esse viduatas.* Et 217. *Etiam Cathedras viduatas, quibus Episcopi ordinandi sunt.* Sidonius *l.* 7. *epist.* 5. *Qua nuper summo viduata Pontifice.* Notarunt Joannes Savarus *ibi*, Balsamon *in canon.* 35. *Sinodi Trull.* Cum enim inter Ecclesiam, & ejus Prælatum spirituale contrahatur conjugium, *c. inter de translat. episc.* quemadmodum mulier vidua dicitur defuncto marito, quasi sine duitate, juxta illud Virgilii 8. *Æneid.*

Tot ferro sævo viduasset civibus urbem,
Ac multis funeratam.

Goratii *l.* 1. *carmin.*

Vecem dum teneat viduus vir, risit Apollo.

Ita Ecclesia Prælato orbata dicitur viduata. Faciunt textus *in l. qui fœtu* 5. *ff. ad leg. Jul. de vi publ. l. malum* 242. §. *viduam, ff. de v. s.* ubi Fornerius, & Gentilis: illustravit eruditè Episcopus Zerda *t.* 1. *in Judith, c.* 8. *v.* 5. *f.* 320. nec solum Ecclesia defuncto Pastore viduata dicitur, verum, & si habeat Episcopum electum, aut confirmatum, interim dum non est consecratus, cum adhuc perfectus sponsus non sit, *c. quoniam* 100. *d.* explicat Franciscus Hallierius *de sacris elect. de consecrat. episc. ar.* 3. §. 5. *per totum*: ut etiam mulier, quæ maritum habet, sed inutilem, dicitur vidua, *l. finali*, ubi Glossa 2. *C. ad leg. Flav. de plag.* probant Tiraquell. *ad leges connub. gloss.* 6. *n.* 12.

3 d *Tres menses.*) Quod tempus jam præscriptum erat in Conc. Chalced. *can.* 25. relato *in cap. quoniam* 3. 75. *dist.* & etiam hoc tempus præscriptum est ad petendam confirmationem, *in c. quoniam*, 100. *dist.* & in Conc. Trid. *sess.* 25. *de reform. c.* 6. ubi jubetur, ut Cardinales intra tres menses consecrationem accipiant: quam constitutionem exponit Gibalinus *in synopsi de censuris, pag.* 453.

4 e *Justo impedimento.*) Quæ exceptio etiam adjicitur *in dist. can.* 25. *Concilii Chalced.* relato *in d. c. quoniam*, ibi, *Nisi inevitabilis necessitas cogerit ordinationis tempus amplius protelari.* Ubi Zonaras, & Balsamon illud exemplum adducunt, si forte ipsam urbem barbari occupaverint: pro quibus faciunt text. *in c. fraternitatem*, 5. 71. *d. c.* 1. *actione* 13. 16. *q.* 3. Aliam justi impedimenti causam adducit Honorius III. *in c.* 2. *hoc tit. in* 2. *compil.* in hæc verba; *Sane ne quis forte causetur, Capitulum S. Juliani Lemovicen. diœcesis jus eligendi Præpositum per decursum temporis amisisse, noluimus quod tempus lapsum ante concessam sibi eligendi licentiam eis currat; cum constitutio, quæ de hujusmodi lapsu temporis loquitur, contra negligentiæ vitium fuerit promulgata; & hi dici nequeant negligentes, cum non possint eligere: præsertim cum ex dilecti filii nostri B. tituli S. Joannis, & Pauli Presbyt. Card. mandato, nostram vel ejus tenerentur licentiam postulare.* Cum enim ob negligentiam electorum hæc devolutio inducatur per lapsum temporis, & impeditis, non currat tempus; *cap. finali, hoc titulo, cap. quia, de concess. prab. cap.* 1. *cap. cum nobis, c. ex transmissa, de præscript. l.* 1. §. *fin. Cod. de annal. except.* ideo si ex justo impedimento electio protelatur, non devolvitur jus eligendi ad superiorem.

5 f *Proximo.*) Ut in beneficiis observatur, *c.* 2. *de concess. prab.* dicam late *in c. licet, de supplend. neglig.*

g *Non differat.*) Consonant text. *in c. cum propter, de jurepatr.* ibi: *Non differas ordinare; & c. litteras, de supplend. negl.* ibi: *Non differatis.* Unde ab hac electione jure devoluto facienda non admittitur appellatio, ut probat Salgado *de protect. Regia, c.* 11. *n.* 40.

6 h *Consilio.*) Cum enim electio ex jure devoluto competit, causæ cognitio desideratur, & præcedere debet, ut cognoscatur, an scientia vacationis adfuerit, an justum impedimentum, & tempus elapsum sit, & alia inquirenda, de quibus Salgado *de protect. d. c.* 11. *n.* 33.

7 i *ipsius Ecclesiæ.*) Quia canonici debebant eligere Prælatum ex corpore ipsius Capituli, juxta adducta *in c.* 1. *hoc tit.* unde ex his verbis deducitur, quod quando propter neligentiam patroni devolvitur electio, seu præsentatio ad beneficium, seu Capellaniam, ad Ordinarium, si patronus tenebatur eligere cum aliqua qualitate, veluti consanguinitatis, gradus, vel certi ordinis, tenetur qui ex jure devoluto eligit, seu præsentat, eligere cum eadem qualitate, ut docent Lambert. *de jurepatr. lib.* 2. 3. *p. art.* 13. *q.* 7. Guttier. *cons.* 1. *num.* 31. & *cons.* 3. *num.* 15. Petrus Gregor. *de benef. cap.* 34. Selva *eod. tit. q.* 49. Lara *lib.* 2. *de capell. c.* 6. *num.* 27. Pro qua sententia expendi potest non insubtiliter textus *in l.* 2. §. *unde bene, ff. de suis & leg. hæred.* de cujus explicatione, & ratione late agunt Cujacius *lib.* 18. *observ. cap.* 12. Anton. Faber *lib.* 6. *conject. cap.* 14. & *lib.* 18. *cap.* 14. Amaya *in lib.* 1. *C. de bonis vacant. l.* 10. Merillus *l.* 2. *obs. c.* 11.

COMMENTARIUM.

8 Conclusio probatur.

Ex hoc textu talis deducitur conclusio: *Electio Prælati Ecclesiæ Cathedralis, vel Regularis intra tres menses fieri debet, aliàs devolvitur ad proximum superiorem.* Probant textus *in cap. postquam* 11. 50. *dist. c. obeuntibus c. cum longe* 25. 63. *dist. c. de persona*, 4. 65. *dist. c. quoniam*, 2. 75. *dist. c. quoniam* 1. 100. *dist. c. litteras, c. quia, c. postulasti, de concess. prab. c. dilectus* 12. *de prabend. cap. quam sit* 6. *hoc tit. in* 6. *Clem.* 1. *de supplend. neglig.* Conc. Carth. 5. *can.* 9. Bernense *can.* 17. Vuormatrense *can.* 75. Sexta Synodus Trullana *can.* 35. Trident. *sess.* 23. *de reform. cap.* 2. Consonant lex 5. & 8. *tit.* 16. *p.* 1. lex 10. *tit.* 5. *p.* 3. Illustrant Pinell. *in authent. nisi, nu.* 36. *C. de bonis matern.* Flores de Mena *variæ. quæst.* 3. *num.* 22. Petrus Greg. *lib.* 19. *syntag. cap.* 9. Guttier. *lib.* 1. *canonic. quæst.* 48. Spino *in speculo testam. gloss.* 4. *num.* 12. Solorz. *tom.* 2. *de jure Ind. l.* 3. *c.* 12. *n.* 108. & *lib.* 4. *polit. c.* 5. Savarus *in notis ad Sidon. l.* 7. *epist.* 5. Lemaistre *de origine Episc. l.* 9. *c.* 9. Franciscus Hallier. *de sacris elect. c. de temp. consecr. episc. art.* 3. *per tot.* Azor. 2. *part. instit. lib.* 6. *c.* 14. *q.* 13. Tamb. *de jure Abbat. t.* 1. *disp.* 5. *q.* 7. Joannes Dartis *de benef. secl.* 6. *c.* 5. Julius Lavorus *de elect. c.* 18. *num.* 12.

9 Ratio dubitandi.

Sed in præsentem assertionem pro ratione dubitandi sic insurgo: si aliqua lege Ecclesiastica præscriptum esset certum tempus ad electionem Episcopi faciendam, maxime Conc. Lat. celebrato sub Innoc. III. sed hoc Concilio non trium, sed sex mensium tempus præfixum est, *c.* 2. *c. litteras, de supplend. neglig. c.* 2. *c. quia, de concess. Prab.* igitur non intra tres menses, sed potius infra sex electio est celebranda. Fulcitur hæc difficultas, nam si ob aliquam rationem eligentium facultas ad hoc breve tempus esset restringenda, maxime ne defectu Pastoris in spiritualibus, & temporalibus Ecclesia damnum patiatur, ut in nostro textu docetur: sed hæc ratio est insufficiens: igitur & decisio. Probatur minor primo, quia quoad spiritualia Capitulum Sede vacante succedit in omnem jurisdictionem Episcopalem, *c. cum olim, de major. obed. c. unico, eod. tit. in* 6. *penult. & ultim. de supplend. neglig. lib.* 6. *c.* 2. *de instit. eod. lib. c. cum nullus* 3. *de tempore ordin. eod. l.* Conc. Trid. *sess.* 7. *de refor. c.* 10. & *sess.* 23. *c.* 10. Franc. Hallier. *de hierarch. l.* 3. *sess.* 3. *c.* 3. *art.* 1. §. 2. Secundo quod temporalia, id est, quoad facultates Ecclesiæ, certum est, Sede vacante constitui œconomum, qui fructus, & bona administret, *c. cum ves, de offic. ordin. cap. ut debitus, de capellis, c.* 1. *de rebus Ecclesiæ, l.* 6. *l. omnia,* §. *hoc, C. de Episc. & cler.* vel interventores, qui interim vacantem Ecclesiam curent, præponuntur, de quibus in Canone Concilii Macrinensis, quem ex Ferrando recitat I. Dartis *l.* 1. *de Episcopo, cap.* 1. *pag.* 7. in hæc verba: *Ut interventores Episcopi conveniant plebes, quæ Episcopum non habent, ut Episcopum accipiant: quod si accipere neglexerint, remoto interventore sic remanent, quamdiu ibi Episcopum quærant.* Concilium Carthaginense 5. *c.* 8. *constitutum* 22. 7. *q.* 1. Igitur si nec quoad temporalia, nec quoad spiritualia Ecclesia viduata ullum damnum pati valet, frustra restringitur facultas eligendi Prælatum ad tempus trium mensium.

10 Hac ratione dubitandi non obstante, vera est præsens Conc. Later. constitutio; & omissis, quæ de supplenda negligentia electorum adducimus *in tit. de suppl. neglig.* ratio præcipua præsentis constitutionis traditur in illis verbis: *Ne pro defectu Pastoris, &c.* Ne scilicet Ecclesia in spiritualibus, & temporalibus grave damnum patiatur. In spiritualibus, si ob Prælati defectum lupus rapax gregem dominicum invadat; si enim Pastorem diutius deesse contingat, variis incursionibus suppositа est Ecclesia, cum Prælati officium sit invigilare super gregem sibi commissum, *c. inter cetera, de offic. ordin.* Fidelibus Sacramenta Confirmationis, & Ordinis administrare, quorum minister ordinarius est, ut de Confirmatione probavi, *c. quanto, de consuet.* & de Sacramento Ordinis testantur PP. Concilii Hispan. I. *can.* 5. & 6. Toletani VIII. *can.* 7. Florentini sub Eugenio IV. *de Sacram.* §. 5. Trid. *sess.* 23. *c.* 4. & *can.* 7. *c.* 1. §. *ad Episc.* 25. *dist.* dicemus *in c.* 1. *de ordinatis ab Episcopo*; etiam chrisma conficiendo, & Ecclesias consecrando, quæ munia obire tantum possunt Episcopi, *c. omnis* 124. *de consecr. eccles.* unde necessitatem Episcoporum in Ecclesia, tam ad hierarchiæ unitatem, quam ad hæc munia obeunda, feliciter propugnarunt Nicol. Lemaistre *integro l.* 2. *de instit. Episc.* Petrus Aurelius, seu quivis auctor vindiciarum censuræ Sorbonicæ adversus spongiam Lamelii, Franc. Hallier. *in tom. de hierarc. jurisd.* Deinde in temporalibus etiam grave damnum timetur ex Prælati defectu, qui debet bona Ecclesiæ administrare, *c. fin.* 16. *qu.* 1. unde diuturna Ecclesiæ vacatio valde damnosa est Ecclesiæ, ut probat textus *in c. quam sit, hoc tit. l.* 6. fic: *Quia gubernationes in quotidianis vitæ commeatibus Prælatorum adminiculo destitutæ patiuntur*; verba sunt Conc. Cabil. II. *can.* 9. refert Burchardus *l.* 15. *Decret. cap.* 32. Damasus Pontifex *in decret. cap.* 2. ibi: *Episcoporum consecratio viduatis Ecclesiis non sine periculo protelatur.* Prælatus enim est proprius, legitimus, & immediatus defensor Ecclesiæ, *c. adoceri, de refer.* cujus industria electa est, *c. fin. de offic. Archipresbyt.* Cum ergo expediat Ecclesiæ diutius non vacare, rectè in præsenti statuitur, electores intra tres menses debere eligere Prælatum. Ideo etiam brevitatem electionis in optando statuit Ecclesiæ *in Clem. dispendiosam, de jud. Clem. sæpe, de V. S.* ut in causis electionum breviter, & de plano procedatur, ut agnovit Garcias *de expensis, c.* 20. *n.* 14. & olim in nostra Hispania in Conc. Tolet. 12. cautum fuit, ut Toletanus Primas Episcoporum electiones confirmaret, ne propter Sedis Apostolicæ distantiam Ecclesiæ diutius vacarent. Amplius in præsenti statuitur, videlicet eo tempore trium mensium elapsa, jus eligendi ad superiorem devolvi, electoribus pro ea vice eligendi facultate privatis, ut sic utilitati Ecclesiæ consulatur, & non eligentium negligentia compescatur. Faciunt text. *in c.* 2. *vers. Si autem, c. litteras, c. quia, c. postulasti, de concess. prab. c. exerte, 22. de præpatr. c. litteras, de suppl. neglig.* & quæ ibi adducimus. Superior tamen, ad quem devolvitur electio, debet eligere intra eumdem terminum, videlicet tres menses, ex aperta juris ratione, quia cum subrogetur in locum ejus, qui eligere neglexit, eodem jure uti debet, ex vulgari principio, Subrogatum sapere naturam subrogantis, *c. si eum,* §. *qui injur. ff. de injuriis, l. unic.* §. *sed ut plenius, C. de rei uxor. act.* Quare cum Capitulum intra tres menses eligere teneretur Episcopum, superior qui in ejus locum succedit, infra eumdem terminum debet eum eligere.

11 Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa; nam licet præsens constitutio tribuatur Concilio Lateranensi generali, deducta tamen est ex Concilio Lateranensi celebrato sub Innocentio III. quod diversum est a Concilio Lateranensi celebrato sub Alexandro III. & inter ea illud discrimen versatur, quod in Conc. I. Later. temporibus Alexandri III. præscriptum est tempus sex mensium eligentibus tantum circa dignitates inferiores, nec eo tempore negligente Capitulo in electione Episcopi, devolvebatur electio ad Metropolitanum, sed ad Pontificem: Concilio vero 2. Later. sub Innoc. III. præscriptum est tempus trium mensium electioni Episcopi, & statutum, ut electio devolvatur ob negligentiam Capituli ad Metropolitanum. Brevius autem tempus præfixum fuit electioni superioris Prælati, quam aliarum dignitatum, quia ejus defectus perniciosior est Ecclesiæ, ideoque propter majorem Episcopi necessitatem ejus electionis tempus debuit restringi, juxta rationem text. *in c. ubi* 3. *hoc tit. in* 6. Docuerunt Cujacius *in c.* 4. *de concess. prab.* Petrus Greg. *de elect. c.* 13. *in* 6. Duaren. *l.* 5. *de sacris eccles. c.* 5. Acunna *in c. postquam* 50. *d.* Garcia *p.* 10. *de benef. c.* 2. *n.* 3. Barb. *de potest. Episc. allegat. n.* 39. Nec augmentum ipsius difficultatis obstat; nam licet Capitulum succedat in jurisdictione Episcopi, Sede vacante, nihilominus Ecclesia Pastore destituta est, & legitimo defensore carat, *c. fin. ne Sede vac.* & præcipua Episcopalia munera, quæ ratione ordinis exercentur, a Capitulo exerceri non valent. Nec etiam, quod de œconomo dicebamus, obstat, quia eodem modo satisfaciendum est.

12 Exponitur c. cum dilectus, de conc. prab.

Ex supra dictis lucem accipit textus *in c. cum dilectus*, 12. *de concess. prab.* ubi asseritur Concilium Lateranen. quod præscripsit tempus electionibus, & in penam negligentium, jus devolutivum ad superiorem, non habere locum in Episcopatibus, & majoribus dignitatibus: igitur etsi Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vel Regularis negligat eligere Prælatum, non inde electiò devolvitur ad superiorem. Cujus textus interpretatio ex dicti provenit; nam ibi agitur de Concil. Later. celebrato sub Alexan. III. in quo, ut supra dixi, nihil cautum fuit circa electionem Episcopi, nec in ea ad Metropolitanum jus devolvebatur, donec a Conc. Later. de quo in hoc textu, trimestre affignatum fuit Episcopi electioni, & jus devolutivum ad proximum superiorem introductum.

13 Intelligitur c. apud cum nosti, de conc. prab.

Superiori assertioni obstat textus *in c. cum nostris, de concess. prab.* ubi docetur sex mensium tempus præfixum in Concil. Later. celebrato sub Alexan. III. habere locum etiam in Præpositis: ex quo fic argumentor. Præpositura est dignitas major, & Præpositus Episcopo, Abbati, seu Decano æquiparatur, *c.* 1. *de etat. & qualit.* & tamen ad ejus electionem non tres menses, sed sex assignantur: igitur quia in dignitatibus etiam majoribus Concilium primum Lateranense, non secundum sub. Innoc. III. celebratum, locum habet. Pro cujus textus solutione, dicendum est, in Præpositi electione Concilium Lateranense II. attendi debere, cum sit major dignitas, & caput Collegii, ut post Glossam *in c.* 2. *in c. nulla, de concess. prab.* docet Cironius *in c.* 2. *de elect. in* 5. *compil.* Nec obstat textus *in dictis. cap. cum nostris*, qui loquitur in Præpositura, quæ aliquando non est caput Collegii, vel Ecclesiæ; unde cum in ea specie accipiatur pro minori dignitate, ideo tempus assignatum in primo Concilio Lateran. attenditur.

CAPUT XLII.

Idem *in* a *eodem*

Quia propter diversas electionum formas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta evenirent, & magna pericula imminent Ecclesiis *b* viduatis: statuimus ut cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & *c* possunt commode interesse, *d* assumantur tres de *e* collegio fide digni, qui *f* secrete, & sigillatim vota cunctorum exquirant, & in scriptis redacta, mox *g* publicent in communi, nullo prorsus obstaculo appellationis interjecto: ut is *h* collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major, vel *i* sanior pars consentit: vel saltem eligendi potestas aliquibus *j* viris idoneis committatur, qui vice omnium viduatæ Ecclesiæ provideant de Pastore: aliter electio facta non *k* valeat, nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi per *l* inspirationem, absque vitio celebrata. Qui vero contra præscriptas formas eligere attentaverit, eligendi ea vice potestate *m* privetur. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in loco, de quo debeat advocari, justoque impedimento detentus venire non *n* possit: super quo, si opus fuerit, fidem faciat *o* juramento; & tunc, si voluerit, uni committat de *p* collegio ipso vicem suam. Electiones quoque *q* clandestinas reprobamus, statuentes, ut quam cito electio fuerit celebrata, solemniter publicetur.

NOTÆ.

1 a *Eodem.*) Concilio videlicet Later. sub Innoc. III. celebrato, ubi *can.* 24. reperitur textus hic, & in quarta collectione, *sub hoc tit. d.* 9. De quo Concilio egi *in cap.* 1. *de summa Trinit.* in præsenti textu Innoc. III. formam electionibus ecclesiasticis præscripsit, admisso triplici eligendi modo, videlicet per inspirationem, compromissum, & scrutinium.

2 b *Ecclesiis viduatis.*) Ex his verbis deducit in præsenti Glossa, hanc constitutionem tantum locum habere in electionibus Prælatorum Ecclesiarum tam Cathedralium, quam Regularium, ex quorum defectu dicitur Ecclesia viduata, ut probavi in textu antecedenti: non autem præsentem constitutionem procedere in electione dignitatum inferiorum, vel Prælatorum Collegiatarum Ecclesiarum. Glossam sequuntur Julius Lavorus *de eleit. c.* 19. Lotterius *de re benef. l.* 2. *q.* 19. *n.* 10. Sylvest. Miranda, & alii laudati a Barbosa *de C. c.* 38. Illud etiam certum est, relatis verbis comprehendi electionem, tam regularium, quam sæcularium Prælatorum: quod etiam suadetur ex sequentibus. Primo nam PP. Concilii in hoc textu intendebant consulere Ecclesiis viduatis: sed æqualiter Ecclesiæ viduatæ dicuntur defectu Prælati sæcularis, ac regularis, *c. ne pro defectu, c. offic. hoc tit.* igitur tam Prælati sæculares, quam regulares præsenti constitutione comprehenduntur. Deinde, quia plerumque electiones Episcoporum, & Prælatorum regularium coæquantur, *c. euphonies, hoc tit. in* 6. igitur eadem forma in eis debet observari. Unde electio Prælati regularis nulla erit, si non observentur, quæ ut essentialia formæ in hoc textu præscribuntur, licet quoad alia accidentalia forma mutari possit. Ita docent Tambur. *tom.* 1. *de jure Abbatum, disp.* 5. *quæst.* 5. Barbosa *de jure Eccles. lib.* 2. *c.* 45. Garcia *t.* 2. *polit. diffic.* 1. *dub.* 1. quod etiam procedit post Concil. Trident. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 6. quia per illud nihil immutatum est, ut docuerunt Lezana *tom.* 3. *regul. v. Electio, num.* 2. Pelliz. *tr.* 9. *p.* 2. *q.* 2.

3 c *Et possunt commode.*) Quando absentes vocandi sint, & ex qua regione, dixi *in c. cum inter, hoc tit.*

d *Assumantur tres.*) Ab ipso Capitulo: sed utrum numerus iste ita præscriptus sit, ut augeri, minuive non possit, sub lite est. Non posse augeri, vel minui, ita ut aucto, vel minuto, electio nulla sit, docent Suar. *de relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 13. Tambur. *sup. quæst.* 7. *num.* 7. Barbosa *hist. lib.* 1. *juris Eccles. cap.* 19. *num.* 190. Sed contrarium, videlicet pro opportunitate loci, & numero eligentium posse augeri, vel minui, rectius defendunt Pellizar. *distinct. tract.* 9. *capit.* 2. *quæst.* 4. Portel. *in dubiis regul. vers. Electio, num.* 13 Peyrinis *in formul. lit. E, capit.* 3. *num.* 2. late Lezana *tom.* 4. *in relect. de eleit. apposita in fine libri*, Garcia *tom.* 2. *polit. diffic.* 5. *dub.* 5.

4 e *De collegio.*) Hæc circumstantia, ut scrutatores sint de corpore Capituli, essentialis est; unde si extranei eligantur, electio nulla erit. Barbosa *dist. cap.* 19. *num.* 186. Tambur. *ubi sup. num.* 9. Julius Lavor. *cap.* 19. *num.* 45. Pelliz. *ubi sup. n.* 25. Garcia *sup. n.* 3.

5 f *Secrete, & sigillatim.*) Quod duobus modis fieri potest. Primo cum electores coram scrutatoribus viva voce eligunt, & aliqui, vel omnes scrutatores suffragia scripturæ tradunt. Secundo si unusquisque ex eligentibus suffragium suum scripto deferat adeo occulte, ut nec ipsis scrutatoribus notum fiat, juxta Conc.

Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 6. & ea, quæ adduxt Tambur. Garcia, & Pelliz. supra laudati: & an suffragium necessario voce præstandum sit, dicemus *in c. Ecclesia* 44. *hoc tit.*

6 g *Publicentur statim.*) Antequam a loco electionis discedant scrutatores, vel ad alios actus se convertant, unoque contextu; ut in testamento condendo præscribitur *in l. heredes, ff. qui testam.* Vota autem in communi publicari dicuntur, quando integre eorum numerus publice congregationi propalatur, non explicando quot ex ipsis in unam, vel in aliam personam consenserint; sed tantum proferendo numerum personarum, quæ suffragium habuerunt: quæ solemnitas essentialis est, ut certior fiat collatio suffragiorum, & ut publicato scrutinio non possint electores variare, *c. publicato, hoc tit.* docent Petr. Gregor. *de electi. c.* 16. *n.* 11. Tambur. *d. q.* 5. *n.* 15. Garcia *ubi supr. dub.* 7. Julius Lavorus *de electi. c.* 19. *n.* 100.

h *Collatione facta.*) Hæc collatio fit numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum, *c. in Genesi, c. Ecclesia, c. Cumana, hoc tit.* ut sic possit cognosci, an sanior, an major pars elegisset: hodie autem cessat hæc collatio post Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 6. ubi statuitur, ut in electionibus tantum major pars respectu numeri, non vero sanior attendatur.

7 i *Major, & Sanior.*) Juxta ea; quæ adducemus *in cap. Ecclesia hoc tit.*

j *Aliquibus viris.*) De electione per compromissum egi *in cap. causam* 8. *hoc tit.*

8 k *Facta non valeat.*) Licet Suarez, Sanch. & alii relati a Barbosa *d. c.* 19. *n.* 131. tenuerint, ex his verbis non irritari ipso jure electionem, sed potius esse irritandam; contrarium tamen, videlicet electionem ipso jure nullam esse, merito defendunt Julius Lavorus *de electi. cap.* 19. *numer.* 10. Tamburin. *d. disp.* 5. *quæst.* 22. *num.* 9. Barbosa *d. cap.* 19. *num.* 131. Garcia *d. dissc.* 5. *dub.* 2.

9 l *Per ispirationem.*) Electio per inspirationem contingere dicitur, cum communi consensu, Spiritu sancto ultro impellente, concordi animo, omnibus postulantibus quis eligitur; quam formam in electionibus Rom. Pontificum aliquando observatam legimus, ut retuli *in cap.* 5. *hoc tit.* in electionibus vero inferiorum Prælatorum raro contingit. De ea electionis forma late agunt Samuelius *de electi. disp.* 1. *contr.* 3. Lavorus *eod. tr. c.* 7. Hieron. Garcia supra, *dub.* 1. Cohelius *in notis. Cardin. c.* 13.

m *Privatur.*) Per sententiam, non ipso jure, *c. Cumana, hoc tit.* unde secundam electionem factam ab ipsis electoribus ante sententiam declaratoriam, defendunt Lotherius *de rebenef. l.* 2. *q.* 19. *n.* 66. & 67. & *lib.* 3. *q.* 17. *n.* 105. Tondutus *resol. canon. q.* 17. *n.* 6.

n *Non possit.*) Cum absens elector, qui de jure vocandus est, justo impedimento detentus venire non potest, procuratorem ad suffragium præstandum constituere valet, *c. si quis* 46. *hoc tit. lib.* 6. Tamb. *d. disp.* 5. *q.* 4. Hieron. Garcia *t.* 2. *polit. regul. diffic.* 2. *dub.* 5. Vilcherius *de electi. Regis Roman. pag.* 77. Petr. Gregor. *lib.* 1. *part. tit. fin. cap.* 4. Patianus *de probat. l.* 4. *c.* 30. Non tamen hoc absolute procedit, sed certis concurrentibus conditionibus. Prima, ut sit elector absens in eo loco, ubi vocari debeat, & ubi venire possit. Secunda ut justo impedimento detineatur. Quæ si non concurrant, procurator constitutus non admittitur, *c. scriptum*, juncta integra, *hoc tit.* prosequitur alia de ipso procuratore Julius Lavorus *de electi. c.* 17. *n.* 32.

o *Juramento.*) Ob rationem textus *in cap. is cui, de officio deleg. lib.* 6.

p *De ipso collegio.*) Et qui alias per se suffragium non habeat, *c. penult.* §. *porro, hoc tit. in* 6. & si procurator extraneus constituatur, & ceteri electores consentiant, valebit electio, ut docent Tambur. *ubi supra n.* 1. & 2. Hieron. Garcia *d. dub.* 1. *n.* 8. Non potest tamen absens mittere votum in scriptis, *d. c. si quis* 46. *hoc tit. in* 6. nisi contrarium consuetudine introductum sit, ut in aliquibus Religionibus observari testatur Garcia *ubi supra num.* 8.

q *Clandestinas.*) Clandestina electio dicitur, quæ fit singulariter, & per occulta conventicula, *c.* 2. *d.* 79. quando non fuit facta publicatio, *c. unic. ut ecclesiastica beneficia*: quæ merito reprobatur, quia censetur fraudulenta, & dolosa, *l. final. ff. de ritu nuptiar. cap. cum inhibitio*, §. 1. *de clandestin. desponf.* explicat Julius Lavorus *de electi. c.* 18. *n.* 9.

CAPUT XLIII.

Idem *in* a *eodem.*

QUisquis electioni de se factæ per sæcularis potestatis *b* abusum consentire præsumpserit contra canonicam *c* libertatem, & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi potestatem: quinimo qui electionem hujusmodi, quam irritam esse censemus, præsumpserint celebrare, ab officiis & beneficiis *d* suspendantur, eligendi tunc potestate privati.

NOTÆ.

1 Conclusio probatur. a *Eodem.*) Concilio videlicet Lateran. *cap.* 25. ubi extat hæc decisio, quæ etiam reperitur apud Antonium Augustinum *sub hoc tit. c.* 10.

b *Potestatis abusum.*) Ut si laicus interfit ut elector, *cap. cum terra, cap. quod sicut, hoc tit.* aut cum immediate propter laicum eligitur, tunc enim per abusum potestatis laicalis electus dicitur, cum alias nisi propter laicos non eligeretur: quo modo hæc verba accipiunt Petr. Gregor. *lib.* 4. *partit. tit.* 7. *c.* 2. Tambur. *de jure Abbat. tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 22. *num.* 11. Barbosa *in præsenti.*

4 c *Libertatem.*) Verendum enim erat in hoc casu, ne laici deinceps usurparent facultatem se ingerendi electionibus ecclesiasticis, ac per consequens cum plena libertate non fierent, contra earum naturam, *c. dilectissimi* 8. *qu.* 1. *c. sacrosancta, hoc tit.*

5 d *Suspendantur eligendi.*) Ex his verbis deducitur, suspensum a beneficio non ideo esse privatum eligendi facultate, cum post pœnam suspensionis a beneficio inflictam, ut diversa pœna apponatur privatio facultatis eligendi, ut etiam contingit *in c. cum in cunctis*, §. *ult. hoc tit.* Illud autem in præsenti difficile videtur, quomodo videlicet si suspensio in hoc textu erat, non solum a beneficio, verum & ab officio, ut diversa pœna ponitur privatio eligendi, cum in suspensione ab officio comprehensa esset? Sed respondendum est, ut diversam pœnam poni a suspensione ab officio privationem juris eligendi, quia inter eas magnum dabatur discrimen; pœna enim privationis juris eligendi incurrebatur ipso jure, ibi, *privati*; pœna vero suspensionis ab officio, & beneficio, post sententiam, ibi, *suspendantur*. Ita nostrum textum interpretatur P. Suarez *de censur. disp.* 25. *sect.* 1. *n.* 35. Gibal. *eod. tr. pag.* 544. *in prine.* Nisi dicamus, per illa verba, *eligendi potestate privati*, non infligi pœnam privationis facultatis eligendi, ut diversam, sed tantum explicari effectum suspensionis contractæ, ut Patres Concilii affirmant, ita electionem celebrantes esse suspendendos ab officio, & beneficio, & per consequens suspensione incursa, esse privatos facultate eligendi. Cui expositioni favent verba relata, prout leguntur transposita *in d. cap.* 25. *Concilii.*

COMMENTARIUM.

4 EX hoc textu talis deducitur assertio: *Electus per laicos ad beneficium Ecclesiasticum, electionis commodo carat, & inelligibilis manet, donec cum eo dispensetur.* Probant textus *in cap. si quis deinceps* 12. *c. quoniam* 13. *c. si quis Episcopus* 14. *c. sane* 15. *c. constitit* 17. *c. nullus* 18. *c. si quis* 19. *c. per laicos* 20. *c. quoniam* 21. 26. *q.* 7. *c. laici* 38. *dist. c. cunctis* 41. 16. *q.* 2. *c. nullus* 17. *c. relatum, de jurepatr. c. Massana, hoc tit.* Greg. VII. in Synodo Romana, *cap.* 2. ibi: *Nullus Presbyter ministerium Ecclesiæ, vel ipsam ab aliquo accipiat, nisi ab Episcopo, qui injungat sibi curam, & obedientiam.* Conc. Turon. sub Carolo, *can.* 15. Mogunt. sub Arnulpho, *can.* 15. *Interdicendum videtur Clericis, seve laicis, ne quis cuilibet Presbytero præsumat dare Ecclesiam sine licentia, & consensu Episcopi sui.* Vvormatiense *can.* 57. *Nullus laicus Presbyterum in Ecclesiam mittere, vel ejicere præsumat.* Nannetense *can.* 16. Saleguftadiense *can.* 20. Biterrense *can.* 21. Pictaviense *can.* 1. *Decrevit sancta Synodus, ut nullus Episcopus, Abbas, Presbyter, vel qualibet persona de Clero accipiat de manu Regis, vel Comitis, vel cujuslibet laica persona donum Episcopatus, Abbatiæ, vel Ecclesiæ.* Later. sub Alexand. III. *in append. par.* 1. *cap.* 9. *Ecclesias, & decimas de manu laicorum sine consensu Episcoporum recipere prohibemus.* Lateran. sub Leone X. *sess.* 9. & 10. extravagans, *Debent, de officio ordin.* inter communes. Alia juris testimonia congesserunt Ant. August. *in epit. juris Pontif. lib.* 6. *tit.* 11. Crespetius *in summ. v. Beneficia, pag.* 74. Illustrant ultra congestos a Barbosa *in præsenti, & in dict. cap. si quis deinceps.* Petrus Gregor. *de electi. cap.* 5. & *l.* 4. *partis tit.* 7. *cap.* 2. Boetius Epon. *tom.* 1. *qq. heroicar. titul. de benefic. num.* 10. Renatus Chopinus *de sacra pol. tit.* 1. *cap.* 1. Lambert. *de jurepatr.* 3. *par. l.* 2. *art.* 12. Petrus Marcha *l.* 8. *concord. juris, cap.* 19. Michael Rouffelius, seu ipse Archiepiscopus, Marcha *lib.* 2. *historiæ Pontif. jurisd. c.* 1. 6. 7. & 8. I Dartis *in d. causa* 16. *q.* 6. & *de benefo sect.* 6. *c.* 1. Acunna *in c. nullus*, 63. *dist.* Bellarm. *l.* 1. *de clericis, c.* 7. Martha *de jurisd.* 4. *par. casu* 47. *per tot.* Salcedo, *de lege polit. l.* 1. *c.* 11. *n.* 35. Dadinus Alteserra *de Ducibus l.* 1. *c.* 8. Theoph. Raynaud. *tom.* 12. *tract. Mala e bonis, &c. fol.* 128.

Sed hæc assertio ita illustrata difficilis redditur ex eo: nam si veterum Patrum, & Scriptorum monumenta repetantur, nihil usitatius invenjemus, quam Episcopos, Abbates, & similes Prælatos de manu Principum Ecclesias immediate accepisse. Sic Ecclesiæ Arvernensi Apollinaris a Theodorico Rege Episcopus datus fuit, & post eum Quintianus Episcopus impositus, & mortuo Quintiano, ab eodem Rege datus fuit Antistes Gallus, contemptus votis Trevirensium, qui virum sanctum sibi in Episcopum expetebant. Gallo suffe-

fuffectus fuit Cautinus a Theodobaldo Rege, emisso Catone jam electo consensu Cleri, ut refert Gregorius Turonens. *lib.* 3. *hist. cap.* 1. & 16. & *lib.* 4. *cap.* 5. & 18. A Sigiberto Rege electus fuit Gregorius Episcopus Turonens. teste Fortunato *lib.* 5. *cap.* 2.

Huic Sigibertus omnis favet, & Brunichildis honori
Judicio Regis nobile culmen adest.

Imo tam Episcopi, quam Abbates investituram suæ dignitatis a Regibus, & Principibus sæcularibus accipiebant, fidelitate illis promissa, Carnotens. *ep.* 60. *Quod autem scripsisti, prædictum electum investituram Episcopatus de manu Regis accepisse, nec relatum nobis ab aliquo, qui viderit, nec cognitum.* Et *epist.* 199. & 236. D. Bernardus *ep.* 170. Quare in Germania, vacante Ecclesia virga Pastoralis, & annulus deferebantur ad Imperatorem, qui Episcopum, vel Abbatem per se electum per virgam, & annulum investiebat. Referunt Auctor vitæ S. Othonis Episcopi Rambergens. *c.* 3. ibi: *Quoties Episcopus aliquis decessisset e vita, Ecclesia, cui præfuerat, baculum, & annulum ad Imperatorem transmittebat, ab ejus aula petens sibi dari Episcopum.* Guillelm. Tyrius *lib. de bello sacro, c.* 13. *Inoleverat enim consuetudo, præsertim in Imperio, quod defungentibus Ecclesiarum Prælatis, annulus, & virga Pastoralis ad Dominum Imperatorem dirigebatur; unde postmodum unumquemlibet de familiaribus & Capellanis suis investiens, ad Ecclesiam vacantem dirigebat, ubi Pastoris fungeretur officio, non expectata Cleri electione.* Sagerius Abbas *in oratione Trevirensis Archiepisc. ad Paschalem II. in Ludovico Craso*, ibi: *Temporibus antecessorum nostrorum sanctorum Apostolicorum virorum Magni Gregorii, & aliorum, hoc ad vim Imperii pertinere dignoscitur, ut in majorum electione hic ordo servetur, antequam electio in palam proferatur, ad aures Domini Imperatoris perferre, & si personam decant, assensum ab eo ante factam electionem assumere: deinde in conventu secundum canones, petitione populi, electione Cleri, assensu honoratorum præferre consecratum libere, nec simoniace ad Dominum Imperatorem pro Regulibus, ut annulo, & virga investiatur.* Nec tantum Reges, verum etiam Duces, & Comites Ecclesias ad libitum concedebant, ut de Duce Mosellenorum refert Sigibertus anno Christi 109. *Dux Mosellanorum Deodericus post fratrem suum Alberonem dato Episcopatu Metensium filio suo adhuc puero, tutorem ei substituit ipsum Deodericum.* De Ducibus Normanniæ idem refert Ordericus Vitalis *lib.* 3. *histor. Ecclesiast. in Guillelmo II.* ibi: *Dux autem petitioni eorum acquievit, & præfato viro, qui electus erat per Cambutum, Ivonis Episcopi Sagiensis exteriorem Abbatiæ potestatem dedit.* De Comite Cameracensi hæc refert Valdricus Noviomensis *lib.* 3. *cap.* 11. *Post obitum vero Domini Abbatis Vuenrici, duos Abbates, alterum post alterum Comes Raynerius substituit.* Et generaliter de Proceribus Galliæ refert Ordericus Vitalis *lib.* 1. *histor.* hæc verba: *Sicut tyronibus suis a Principibus erogabantur stipendia militia; sic quibusdam coronatis pro famulatu suo dabantur a laicis Episcopatus, & Abbatiæ, Ecclesiarum Præpositura, Archidiaconatus, & Decaniæ, aliique dignitates, & potestates Ecclesiastica.* Plura referunt Theophilus *dict. tom.* 12. *ex fol.* 128. *usque ad* 130. Alteserra *dict. cap.* 7. igitur si a laicis licet accipere investituram, & collationem Ecclesiarum, multo magis electioni de se factæ a laicis licebit consentire. Accedit praxis Hispaniæ, & Galliæ eligendi Episcopos, ac Prælatos superiores per Reges, quam probavi *in cap.* 2. *hoc tit.* igitur licet a laicis Ecclesias accipere.

6 De investitutis. Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, olim in Ecclesia abusum introductum fuisse accipiendi investituras Ecclesiarum per laicos. Ita vocabant intrusionem aliquorum in beneficia per potestatem laicam. Nam vestitura idem sonabat ac possessio, ut ex variis locis Capitularium probat P. Sirmundus *ad Cap. Caroli, tit.* 39. Investitura ergo idem erat, quod immissio in possessionem, quæ quoad Episcopatus, & Abbatias fiebat, dato per Principem baculo & virga, ut referunt Juretus *ad epist.* 8. *Ivonis*, Theophilus *d. t.* 12. *fol.* 128. Et licet similes investituræ prohibitæ reperirentur *in can.* 30. *Apostolor.* & Nicæna Synodo sub Adriano II. *act.* 8. & 10. tamen postea per duo sæcula, ab anno videlicet 1077. ad annum 1169. prædictæ investituræ valde usitatæ fuerunt, non obstantibus diuturnis, & asperrimis Pontificum contentionibus cum Principibus. Demum improbatæ, & damnatæ fuerunt a Gregorio VII. in Synodo Romana, his verbis: *Quoniam investituras Ecclesiarum contra statuta SS. PP. a laicis personis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Ecclesia oriri, ex quibus religio Christiana conculcatur, decernimus ut nullus investituras Episcopatus, vel Abbatiæ, vel Ecclesiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicujus laicæ personæ, viri vel feminæ suscipiat. Quod si præsumpserit, recognoscat investituram illam Apostolica auctoritate irritam esse, & usque ad dignam satisfactionem excommunicationi subjacere.* Urbanus II. idem statuit in Concilio Claromont. *can.* 16. ibi: *Interdictum est, ne Reges, vel alii Principes aliquam investituram de Ecclesiasticis honoribus faciant.* Refert Villelmus Malmesbur. *de gestis Pontif. Anglia, lib.* 2. *de Urbani Concilio*: per hæc verba: *In hoc Concilio Papa cum omnibus sententiam excommunicationis vibravit in laicos investitores Ecclesiarum, & investitos a laicis, & in taliter investitos consecrantes, & in illos, qui pro ecclesiasticis honoribus laicorum homines fiunt.* Idem statuerunt Paschalis II. & Calixtus II. ut refert Abbas Vvindocinens. *in opusc. ad Calixtum Papam cap.* 3. & 4. *Investituram per virgam, & annulum accipere, nisi a suo consecratore, manifestum est esse damnosum, quia nulli laico licet illa Ecclesiæ sacramenta dare, sicut ei non licet Episcopum consecrare.* Et cum hæc controversia de investituris agitata esset an. 1119. in Concil. Rhemensi, & an. 1122. in Concilio Later. semper Calixtus II. similes investituras damnavit: quæ Concilia edidit Baluzius *ad Marcham lib.* 8. *cap.* 21. Idem etiam statuerunt Alexand. II. & III. Et tandem Innoc. III. *lib.* 1. *epist.* 47. statuit ne defuncto Episcopo annulus ejus, & baculus Principi mitterentur, ut moris erat, ibi: *Cum te, vel aliquem suffraganeorum mori contigerit, baculus pastoralis, & annulus in Ecclesia remanneant propria, sub fideli custodia constituti ad successoris usum, cum Deo favente consecrationem acceperit.* Et *lib.* 2. *epist.* 87. talem consuetudinem corruptelam appellat. Plura de his investituris, quæ magnas clades Ecclesiæ irrogarunt, cumulant Baron. *tom.* 11. *ann.* 1077. & *tom.* 12. *ann.* 1116. Boetius Epon. Frisius *qq. heroicar. de jure sacro, libr.* 1. *de regal. numer.* 26. & 217. *cum seq.* Juretus *in notis ad Epist.* 60. 190. 233. & 236. *Ivonis Carnotensis*, Jacob. Gretser. *in apolog. pro Baronio contra Foldastum, cap.* 1. & *contra replicat. libr.* 2. *cap.* 1. & *seq.* Bosquetus *in notis ad Innoc. III. lib.* 2. *regest.* 15. *epist.* 78. & 87. Vincent. Cabotius *lib. disp. de jure publico, cap.* 5. Anton. Diana *part.* 10. *tract.* 1. *res.* 5. & 6. Petrus Marcha *lib.* 8. *concord. cap.* 19. *cum seq.* Michael Rouffelius, seu quivis auctor est historiæ Pontif. jurisd. *cap.* 5. cum cautione, nec sine delectu legendus; alii apud Christophorum Besoldum *tom.* 1. *politic. dissert. de Majest. in genere, sect.* 2. *de Ecclesiæ Majestatis jure, cap.* 4. *numer.* 1. & 2. Joann. Cochier *in vindiciis liber. Ecclesiæ.* 2. *part. cap.* 4. & 5. Theophil. Raynaud. *dict. tom.* 12. *tract. Mala e Bonis Ecclesiæ, sect.* 1. Alteserra *de Ducibus, cap.* 7. *per tot.* Franç. Florens *ad titul. de translat. in fine.*

Unde apparet vera ratio præsentis decisionis. jam enim a primi Ecclesiæ temporibus variis constitutionibus prohibitum legimus, a laicis, & per manus ipsorum Ecclesias, vel ecclesiastica beneficia accipere, ut constat ex variis canonibus congestis a Gratiano *in causa* 16. *q.* 7. Et contra accipientes Ecclesias a laicis varia sunt statutæ pœnæ: excommunicatio *in c. quoniam* 25. 16. *quæst.* 7. depositio a ministerio ecclesiastico, *c. quia* 6. *de jurepatr.* inhabilitas ad beneficia ecclesiastica, in præsenti textu, & aliis supra relatis; & magna cum ratione, nam Ecclesia semper curavit arcere laicos ab administratione, & dispositione rerum Ecclesiasticarum, *c.* 2. *hoc tit. c.* 2. *de judiciis*, ne laicis invadentibus electionem, & prædictam dispositionem libertas Ecclesiastica minueretur, laicique immiscerentur negotiis ecclesiasticis. Et quia agentes, & consentientes pari pœna puniuntur, ut vulgo docetur *ex c.* 1. *de offic. deleg.* inde non solum illi, qui a laicis eliguntur, verum, qui hujusmodi electioni consentiunt, æqualiter puniuntur. Et quia debet quis puniri in eo, in quo peccavit, *c. nemo, de temporib. ordin. l.* 6. ideo & clerici in electione delinquentes, & electioni consentientes, privantur potestate eligendi, & inhabiles redduntur ad beneficia ecclesiastica. Ratio decidendi.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam quæ in ea expendebamus, procedunt cum investituræ in usu, seu potius abusu erant, cum adhuc Romani Pontifices similem abusionem propter potentiam Principium extirpare nequibant, usquedum Gregorius VII. & alii strenui in eo opere adjutores eam improbarunt, & damnarunt, ut referunt Juretus, & Theophilus supra citati. Nec augmentum ipsius difficultatis refragatur; nam magni nostri Monarchæ, ut Patroni Ecclesiarum Cathedralium præsentant R. Pontifici Episcopos ab eo confirmandos, non autem propria auctoritate Ecclesias conferunt, ut pluribus relatis probat, & ut solet, illustrat Illustrissimus D. Franciscus Ramos *in memor. ad Alexan. VII. pro Episcopat. Lusitaniæ, propos.* 1. *in princip.* & nos aliqua dedimus *in cap.* 2. *hoc tit.* 8 Dissolvitur dubitandi ratio.

Superiori assertioni primo adversatur textus, *c. dilecto, de testib.* ubi proponitur Joannam Comitissam Flandriæ, de qua mentio fit *in cap. fin. de concess. prab.* litem disceptasse coram tribus delegatis super donatione, & collatione, sex præbendarum, cum Præposito Arriensi: & cum ex justa causa unus ex judicibus rejectus esset, alius in ejus locum suffectus fuit. Supponitur ergo collationem a laica persona accipi posse: igitur licet impune de manu laici Ecclesiam accipere. Cui difficultati ex supra traditis satisfacit Boetius Epon. *tom.* 2. *quæstionum, num.* 2. asserendo Joannam Constantinopolitanam, Balduini Imperatoris filiam juspatronatus obtinuisse in Ecclesia Arriensi, unde ratione ipsius jurispatronatus potuisse præbendas in ea Ecclesia, & in aliis a se, vel a majoribus fundatis donare; quo casu non accipitur beneficium de manu laici, cum ejus collatio a proprio Episcopo fiat. 9 Exponitur c. dilecto de testibus.

Eodem etiam modo intelligendus est textus *in cap. cum inter, de consuet.* in illis verbis: *Decanatum, & præbendam ipsius Ecclesiæ idem Rex, & progenitores sui conferebant, diœcesano etiam Episcopo inconsulto.* Ex quibus verbis manifeste deducitur, laicum posse conferre Ecclesiam proprio jure: igitur licet a laicis Ecclesias accipere. Cui difficultati satisfaciendum est ex supra dictis, videlicet Ecclesiam S. Petri de Curia Cenomanensis, ratione jurispatronatus spectare ad Regem Angliæ; unde ratione ipsius jurispatronatus poterat ad Decanatum, & alias præbendas Canonicos præsentare. Nec obstat verbum illud *conferebant*; quod non nudam præsentationem, sed collationem omnimodam, etiam Episcopo inconsulto, demonstrat; nam verba supra relata tantum continent simplicem partis narrationem, non autem Pontificis decisionem, quæ diversa fuit: nec Pontifex decidit collationem inconsulto Episcopo potuisse 10 Exponitur c. cum inter, de consuet.